FR. DANIELIS CONCINÆ

ORDINIS PRÆDICATORUM

AD VIRUM CLARISSIMUM

R. P. JOSEPHUM CARPANI S. J.

ET IN ROMANO COLLEGIO

STUDIORUM PRÆFECTUM

EPISTOLÆ.

VENETIIS

MDCCLXIX.

Apud Simonem Occhi

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISSIMI SENATUS.

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

DE Viro eximio Patre DANIELE CONCINA, Auctore ſequentis Operis, quod inſcribitur: *Fr. Danielis Concinæ Ordinis Prædicatorum, ad Virum Clariſſimum Rev. Pat. Joſephum Carpani Societatis Jeſu, & in Romano Collegio Studiorum Præfectum, Epiſtolæ*; nihil eſt, quod aliquid præloquar, cum ſatis abunde fuerit de ipſo locutus Dionyſius Sandellius Patavinus in Commentario de Vita, & Scriptis ejuſdem, ann. 1767. a me typis in lucem edito, ex quo addiſcere poterit unuſquiſque virtutes, geſtaque ipſius, ac una ſimul omnia, quæ in caput ſuum acceſſivit ipſe, infortunia, eo quod agere Dei cauſſam maluerit. Id unum ſubjiciam, exiſtimationem, qua florent apud omnes tot lucubrationes doctrina, ac pietate inſignis Auctoris, nec non fructum, atque emolumentum, quod ex iis perceperunt Viri lucis veritatis cupidi, in cauſſa eſſe, cur illæ etiam, atque etiam expetantur, earumque in dies multiplicentur editiones. Quamvis autem, quod attinet ad me, nil abfuerit, quin meis prælis excuſum prodierit quicquid benigne traditum mihi ab Auctore fuit, quin etiam ipſum Compendium Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-Moralis, quod mihi Divino quodam beneficio, poſtquam ille demigravit ex hac vita, ſapienti, atque potenti dextera porrectum fuit; nihilo tamen minus, cum meas aſſidue tunderent aures tot proborum litteratorumque virorum efflagitationes, quos minime fugiebat, aliquibus in Bibliothecis alia nonnulla deliteſcere ejuſdem Opera poſthuma, juxta laudati Sandellii teſtimonium, quique me urgebant de eorumdem exemplis; propterea induſtriam omnem, ac diligentiam meam conferendam ad illorum acquiſitionem decrevi; mihique, Deo bene juvante, poſtremis hiſce temporibus, feliciter evenit, ut in meas pervenirent manus Epiſtolæ illæ ad Joſephum Carpani S. J., quas nulla interjecta mora, ut præfatis Viris, tanquam Veritatis æquis æſtimatoribus, faciendi ſatis meum declarare ſtudium valeam, publici juris feci, atque hominibus cæteris Veritatem exquirentibus, atque a noxiis mentis anticipationibus liberari cupientibus proſim: quod certiſſime fiet, ſi ad reliquorum Patris Concinæ Operum hujus quoque ſedulam lectionem adjecerint. Illos inſuper monitos velim, aliud ſimilis argumenti Opus aliunde me præſtolari, quod ipſis æque gratum fore confido: atque interim ſpondeo, ſtatim ac illud ad me pervenerit, meis typis vulgatum iri ad eorum omnium ſolatium, qui latiſſime patere cupiunt tanti Viri omni laude digniſſimi Opera in commune omnium hominum bonum.

Digitized by Google

INDEX EPISTOLARUM.

EPISTOLA I. Argumentum. *Probabiliſticum ſyſtema vi juſti ratiocinii Anti-evangelicum eſt.* Pag. 1
EPISTOLA II. Argumentum. *Inauditum arcanum excogitatum a R. P. Antonio Terillo, & ab aliis Probabiliſtis adoptatum, quo a ruina ſervetur Probabiliſmus.* 11
EPISTOLA III. Argumentum. *Probabiliſmus damnatus oſtenditur in potiſſimis Chriſtianæ Theologiæ controverſiis.* 18
EPISTOLA IV. *In qua principia, ſeu ſophiſmata Probabiliſtarum expenduntur.* 27
EPISTOLA V. Argumentum. *Sophiſmata Probabiliſtica, & paradoxa inaudita quæ tu Cl. Carpane ſcribis in tertia Diſſertatione, ſub examen revocantur.* 43
EPISTOLA VI. Argumentum. *Improperia, Phanatiſmus, Janſeniſmus, & alia convicia impacta a nonnullis Probabiliſtis Evangelicæ Moralis Defenſoribus, in apricum traducuntur.* 59

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Sant'Officio di Venezia, nel Libro intitolato: *Fr. Danielis Concinæ Ord. Prædicatorum ad Virum Clariſſimum R. P. Joſephum Carpani S. J. & in Romano Collegio Studiorum Præfectum Epiſtolæ*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi, concediamo licenza a *Simone Occhi* Stampatore di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Agoſto 1767.

(SEBASTIAN ZUSTINIAN Rif.
(ALVISE VALARESSO Rif.
(ANDREA TRON Cav. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 327. al Num. 2242.

Davidde Marcheſini Segret.

Regiſtrato al Magiſtrato alla Biaſtema a Carte 162.

Andrea Grattarol Segret.

F R.

Digitized by Google

FR. DANIELIS CONCINA
ORDINIS PRÆDICATORUM
AD VIRUM CL.
R. P. JOSEPHUM CARPANI S. J.
ET IN COLLEGIO ROMANO STUDIORUM PRÆFECTUM
EPISTOLA PRIMA.

ARGUMENTUM.

Probabiliſticum Syſtema vi juſti ratiocinii Antievangelicum eſt.

I. LEgi Carpane Pater librum tuum inſcriptum: *De opinione Probabili, rectoque illius uſu Opuſculum tripartitum*; Et anceps diu hæſi, num, ut tibi quidquam reſponſi præberem, conſentaneum eſſet. Repellebat implicata, atque ſtrigoſa ſcribendi ratio, verſutis diſtinctiunculis, cavillatoriis effugiis, rimis, & gerris uſquequaque circumvallata. Urgebant ex altera parte imperitorum deceptio, veritatis proditio, & animarum ſalus in diſcrimen adducta. Animadverti quippe in ejuſdem opuſculi præfatione, ideo te illud in publicam emiſiſſe lucem, ut Parochi, aliique Sacramentorum Miniſtri perplexis fidelium conſcientiis apte conſulere, eorumque mederi vitiis dulciſſimo Pharmaco Probabiliſtico opportune valeant. Et ut eoſdem Parochos, alioſque Sacramentorum Miniſtros ad Probabiliſmum amplectendum animares, iiſdem teſtaris, omnes ferme Jeſuitas, Romanos Pontifices, & univerſam Eccleſiam Catholicam ſuffragari, & favere in rebus controverſis ſententiæ minus probabili. Hæc, cum ſerio mecum recogitarem, demiratus magnopere ſum intrepidam tuam fortitudinem, diligentiamque, qua amplificare mollioris Ethices benignitatem conaris, ut ſenex, & morti propinquus Antiprobabiliſmi ſpoliis, & Probabiliſmi, atque eorum, quæ heinc manant, victoriis onuſtus, ovalique corona redimitus cœleſtis Jeruſalem arcem glorioſiſſimus triumphator ingrediaris. Contra ego hanc tuam Caſuiſticam benignitatem æternæ animarum ſaluti exitialem, veneficamque, pro imbecillitate mea, exiſtimo. Noſtrum alteruter erret, neceſſum eſt, cum oppoſitæ ſententiæ ſimul eſſe veræ nequeant. Non igitur tricandi, atque vilitigandi prurigini adſcribas, ſi Probabiliſticum ſyſtema tuum convellendum aggrediar. Quandoquidem ſi tu cum cæteris tuis Probabiliſtis propagare Probabiliſticam doctrinam, eamque in Logica ipſa adoleſcentibus inſtillare, & imprimere toto virium conatu ſatagis, jure ſane potiori mihi certandum eſt, ut ab ineptis commentis veritatem ſtudeam vindicare. Plurimi ætatis noſtræ ſcituli, & cœci fortunæ idololatræ cum has diſputationes, & mutuo pugnantes audiunt, continuo axiomata ſpuunt: hæc nempe Theologorum diſſidia ſcandala cum Catholicis, tum Hæreticis ingerere: pacem, & concordiam clamant, & a partium ſtudio abſtinendum. Iſti in morum doctrina *indifferentiſmum*, quemadmodum impii in revelatæ Divinæ doctrinæ dogmate *tolerantiſmum* vellent. Ignorant politici homines carnalis prudentiæ faſcinio dementati Religionem Chriſtianam bello conceptam, bello partam, belloque duraturam. Evangelia Chriſti iſtos latent. Siquidem nos admonet S. Matthæus: *Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri . . . . . Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Altius perpendant, & ſerio meditentur hæc verba: *Oportet enim hæc fieri*. Animum Paulo intendant dicenti: *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala . . . . . oportet hæreſes eſſe*. Verum enim vero aures arrigant, ut aliquo pudore

tacti ethnicum Solonem audiant, qui pro Athenarum Republica hanc legem tulit, ut nempe Cives, nobileſque viri, qui in gravioribus Reipublicæ negotiis ſe ſe immiſcere nollent, & a partium ſtudio alienationem jactarent, tamquam Patriæ Proditores haberentur, ſuiſque bonis privati in exilium pellerentur. Dignum tam ſapiente viro decretum. Ardet Reſpublica Chriſtiana graviſſimis controverſiis ſuper æterna animarum ſalute, & ejuſdem membra indifferentiam oſtentant? *Qui non eſt mecum*, inquit Chriſtus, *contra me eſt*. Videndum a qua parte veritas ſtet, & niſi Chriſtianæ profeſſionis rebelles, & proditores haberi a Deo velint, pro eadem vexillum explicent, oportet, vafra mundi prudentia ſublata. Nihil utique quod humanum ſapiat, inflectere animum tuum debet, ut huic potius, quam alteri parti faveas. Quid ſi veritatem in pectore occulſam comprimeres, quia illis adverſatur, quos vides ſplendidius refulgere in Mundo, Magnatum, Principumque favore, & patrocinio inſtructos, & amplæ multitudinis frequentia acclamari? Quid ſi obmuteſceres, & palam fateri veritatem prætermitteres, ne tibi adverſarios conciliares, ne obſtacula ad altiora occupanda tibimetipſi interponeres? Quid ſi pro occaſionum diverſitate utrique parti te vellificantem perhiberes? Quid ſi uno pede mare, altero terram metireris? Tu ne Chriſti ſervus? Tu ne Chriſtianus? Tu ne confitendæ veritatis præceptum impleres? Nec enim minus urget profitendæ morum, quam fidei doctrinæ mandatum. Hos omnes ſe improbaturum Chriſtus teſtatur: *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubeſcam eum coram Patre meo*. Non eſt privata contentio, ſed publicam exigit veritatis profeſſionem *coram hominibus*. Hæc pauca, & alia dicta delibaſſe ſufficiat, ut tractandæ cauſæ viam pararem. Nunc ad te Cl. P. Carpane ſermonem meum converto. Et ne exprobrare mihi audeas, ut ſæpius in hoc opuſculo ſoles, ſtylo non ſcholaſtico, ideſt ſalebroſo, implicatoque, ſed oratorio, atque exclamationibus, & exaggerationibus cauſam orare meam, ſimplici, & perſpicua oratione eamdem exponam, & evincere validiſſimis rationum momentis ſatagam. Poſtea opportunitate data vocem exaltabo, ut obtuſas mentes excitem ad paradoxa Probabiliſtica ſerius perpendenda. Sed antequam ultra provehar, arcanum mihi patefacias velim. Quid cauſæ eſt, mi Carpane, cur Probabiliſtæ adeo perhorreſcant orationis vehementiam, & uberem dicendi copiam? Qui veritatis amore flagrant, cum vident graviſſimam de æterna animarum ſalute controverſiam diſputari ſtylo gravi, figuris, tropis, cæteriſque eloquentiæ præſidiis munito ſpectant, audiuntque altius orationem efferri, gaudent, & exultant. Contra Probabiliſmi propugnatores hanc diſputandi rationem deteſtantur. Sed cur quæſo, & illi in refellendo Antiprobabiliſmo iſtam methodum non uſurpant? Cur eloquenti oratione & ipſi non utuntur? Scire aves? Pandam ego. Si Probabiliſmus nudo ſuo aſpectu in medium prodiret: ſi oratione perſpicua, & verbis quidquam ſignificantibus exponeretur, odium, & publicam deteſtationem ſibi conciliaret, & ſeipſo peremptus jaceret. Quare ſi conſiſtere ille velit, incluſum ſe contineat, & quidem vigilantiſſime, oportet, intra barbararum vocum cavernas, intra diſtinctionum, & ſubdiſtinctionum probabiliter probabilior, evidenter probabilior, ſpeculative probabile, practice probabile, remote probabile, tenuiter probabile, ſolide probabile &c. &c. &c. niſi, inquam, intra hos ſcopulos, & ſyrtes latitet; ſi ex his anfractibus in ſcenam erumpat, continuo ſuam prodit deformitatem, & æternæ animarum ſaluti infeſtiſſimum ſe manifeſtat. Et quoniam Probabiliſtæ præfatis cavernis, ſcopulis, ſyrtibus, & anfractibus ſummopere indigent, ut ſuam recentem cauſam quoquomodo ſuſtineant: idcirco vellent, ut eamdem Antiprobabiliſtæ viam inſiſterent. At mirifice falluntur. Cauſa noſtra his cavillatoriis artibus non indiget: cavernas, anfractus, & diſtinctiuncularum larvas refugit: ſua nativa venuſtate animos bene formatos attrahit, & paradoxa probabiliſtica invictis argumentis convellit, & opportune deridenda, & exſibilanda propinat. Scias tamen velim ſophiſmata, quæ vos Probabiliſtæ plures obtrudiitis, ab omnibus deſperatæ cauſæ propugnatoribus P. P. fuiſſe oppoſita. Nam Creſconius Donatiſta S. Auguſtini eloquentiam criminabatur, ut ipſe Auguſtinus *lib. 1. contra eumdem Creſconium cap. 2.* narrat his verbis: *Sed credo quum me videres a nonnullis putari eloquentem, ut a me lectoris, auditoriſve ſtudium deterreres, accuſandam exiſtimaſti eloquentiam: ut jam quid dicerem non attenderet quiſquis, abs te perterritus tamquam eloquenter me dicentem eo ipſo jam cavendum, fugiendumque cenſeret*. Aliam quoque cavillationem, quam objiciunt Probabiliſtæ, opponebat idem Creſconius, nempe ſine fructu Auguſti-

guſtinum diſputare, rixarumque Auctorem eſſe, ſicuti idem Auguſtinus refert *loc. cit. cap. 6.* inquiens. *Verum quia multi, & ipſam correctionem, quæ modeſte fit, vel peccatis ſuis faventes, vel quid reſpondeant non invenientes, nec tamen veritati acquieſcentes onerose, ac moleſte ferunt, eos, qui ſecum ſedulo agunt, nos ab eorum convincendo errore diſſimulant, litigioſos, & contentioſos vocant; falſitas enim, quæ nudari, & argui metuit, eorum vitiorum nomine, quæ veritas damnat, diligentiam veritatis accuſat, numquid ideo tamen ab hac inſtantia deſiſtendum eſt? Vide quemadmodum Timotheum idem obſtringat Apoſtolus, ne propter homines, quibus inſuavis eſt prædicatio veritatis, aliqua ei ſegnitia prædicandi ſubreperet. Teſtificor inquit* coram Deo, & Chriſto Jeſu . . . prædica verbum, inſta opportune, argue, hortare, increpa in omni longanimitate, & doctrina. *Quis hæc audiens, ſi Deo fideliter ſervit, ſi doloſus operarius non eſt, ab hac diligentia, & inſtantia conquieſcat? Quis ſub tanta teſtificatione ſegnis eſſe audeat?* Rurſus *cap.* 8. pergit Auguſtinus: *Nam ſi contentioſus habetur a vobis, vel animoſus, paratorque rixarum quiſquis cuiquam ſermonis altercationem vel inferre, vel referre curaverit; videte quid de ipſo Domino J. C., ejuſque ſervis Prophetis, & Apoſtolis ſentiatis. Nempe enim Dominus ipſe Filius Dei numquid cum ſolis diſcipulis, vel turbis, qui in eum crediderunt, an non etiam cum inimicis tentantibus, obtrectantibus, interrogantibus, reſiſtentibus, maledicentibus habuit de veritate ſermonem? . . . Quid toties adverſus Judæos, Phariſæos, Saducæos non ſolum minime credituros, verum etiam maxime contradicturos, & perſecuturos coram in os eorum quam multa locutus eſt? Nonne ab eis ultro quum voluit, quod voluit inquiſivit, ut eorum illos reſponſione convinceret? Nonne illis doloſe tentando quærentibus, quum redarguti obmuteſcerent ſine ulla ambiguitate reſpondit? Quod quum faceret, nullus ex his legitur ad eum ſequendum fuiſſe converſus, & utique noverat, quia præſcius erat nihil ſe ad eorum ſalutem, quum hæc ad eos, vel in eos, vel adverſus eos diceret, profuturum. Sed nos fortaſſe ſuo firmavit exemplo, qui futuram fidem, perfidiamque hominum prænoſcere non valemus: Ne ſi quando nimium duris, nimiumque perverſis ſine fructu ſalutis eorum locuti fuerimus, deficiamus, & deſiſtamus ab inſtantia prædicandi . . . . Prophetas etiam legimus miſſos ad homines tam inobedientes, ut Deus ipſe, qui Prophetas mittebat, de his, ad quos mittebat, prædiceret, quod verbis eorum obtemperaturi non eſſent . . . . Apertiſſime Dominus ad Ezechielem dicit:* Vade, & intra in domum Iſrael . . . . Domus autem Iſrael non audient te, quia nolunt audire me . . . . . *Ecce mittitur Dei ſervus, & eis loqui jubetur, qui eum non erant audituri, eo ipſo Domino, qui mittebat, & loqui jubebat, prædicente, quod non erant audituri. Qua cauſa, cui bono, quo fructu, quove effectu mittitur ad certamen prædicandæ veritatis adverſus certaturos, & non obedituros? . . . . Ezechieli certe iſta non diceres, qui cum verbo Dei mittitur inferre certamen hominibus non obedituris, contradicturis, contraſenſuris, contrafacturis.* Habes ergo Clariſſime *Carpane* ex ipſo Auguſtino tua ſophiſmata profligata. Cauſam nunc ingrediamur.

§. I.

Syſtema Probabiliſticum vi juſti, & evidentis ratiocinii eſt Antievangelicum.

I. Regula certa, & ſecura, quam pro morum integritate nobis Deus tribuit, eſt ſua lex æterna in Evangelio expoſita, quæ eſt lex veritatis, cujuſque falſitatis expers. *Lex tua veritas .... Omnia mandata tua veritas . . . . Viam veritatis elegi.* (*Pſal.* 118.) Et Chriſtus Dominus ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Hæc eſt prima, & ſuprema norma, cui conformetur neceſſe eſt conſcientia noſtra, ut reapte recta ſit, & fructum vita æterna dignum pariat, quia nihil contrarium æternæ legi ingredi cœleſte Regnum valet. Hæc prima propoſitio fidei eſt. *Secunda propoſitio.* Novus opinandi modus Probabiliſticus, qui irrepſit in Chriſtianam Theologiam a duobus fere ſæculis, atque falſitatem, ac veritatem pro conſcientiis fidelium dirigendis, moribuſque formandis conſtituit. *Tertia propoſitio.* Ergo ſyſtema Probabiliſticum vi juſti, & evidentis ratiocinii antievangelicum eſt.

II. Evinco ſecundam propoſitionem, quæ ſola adduci in diſputationem poteſt. Omnes ad unum Probabiliſtæ docent, vi proprii ſyſtematis, licitum eſſe uſum duplicis propoſitionis contradictoriæ. Hæc eſt inconcuſſa facti veritas. Diſputatur utrum contractus trinus ſit ſenebris. Adfirmat ſententia Probabilior. Negat ſententia minus Probabilis. Utramque te amplecti poſſe docet ſyſtema Probabiliſticum. Nemo quippe inficiari audet, licitum eſſe amplecti ſententiam proba-

Digitized by Google

biliorem. Omnes Probabiliſtæ adfirmant licitum eſſe uſum opinionis minus probabilis. Porro utraque propoſitio aut vera, aut falſa eſſe nequit: ſed ſi una vera eſt, neceſſario conſequitur falſam eſſe alteram. Ergo evidens eſt ſyſtema Probabiliſticum æque falſitatem, ac veritatem conſtituere pro regula morum, Chriſtianæque virtutis. Compertum itaque eſt ſyſtema probabiliſticum eſſe Antievangelicum. Nam lex Evangelica eſt lex ſolius veritatis. Contra lex Probabiliſtica eſt lex æque falſitatis, ac veritatis. Iſtæ autem duæ leges non minus invicem pugnant, quam tenebræ, & lux.

III. Quid reponis *Carpane* Pater? Ignoro, inquis, in quanam ex duabus contradictoriis ſententiis veritas reſideat. Non ne & ſententia probabilior falſa eſſe poteſt? Verum habet. Sed mirifice falleris, & a juſti ratiocinii regulis craſſe aberras. Antiprobabiliſtæ docent ſolam legem veritatis eſſe conſcientiarum, & morum unicam regulam. Idcirco ſubdunt, in rebus incertis, & controverſis Deum orandum eſſe, ut veritatem aperiat, & eam doctrinam eligendam, quam, omnibus mature expenſis, probabiliorem, & veroſimiliorem judicamus. Poſt hæc omnia decipi interdum Antiprobabiliſta poteſt, & illa doctrina, quam probabiliorem, & ſecuriorem exiſtimat, falſa eſſe valet. Raro tamen hoc accidit, ſi diligentia adhibeatur pro inquirenda veritate, quia & Deus promittit, ſe eam oſtenſurum illis, qui ſincero corde illam implorant, & quæ veroſimiliora, & probabiliora apparent, communiter vera ſunt. Si decipi Antiprobabiliſtam contingat, error ex ſuo ſyſtemate non manat, cum propugnet ſolam veritatem eſſe unicam Chriſtianæ virtutis amuſſim, ſed deceptio eſt in regulæ applicatione. Contra Probabiliſtæ vi ſui ſyſtematis docent falſitatem æque, ac veritatem eſſe Evangelicæ virtutis regulam, cum defendant licitum uſum duplicis doctrinæ contradictoriæ, certiſſime ſcientes, alterutram eſſe falſam. Ne multa. Antiprobabiliſta ex duabus ſententiis contradictoriis illam ſolam eligit, quam judicat veram, ſeu veroſimiliorem. Probabiliſta contra ambas contradictorias, & magis probabilem, & minus probabilem ſententias amplecti nos poſſe acerrime contendit. Ergo ſyſtema Probabiliſticum Antievangelicum eſt. Exemplo doctrinam confirmo. Sunt duo pocula, in quorum altero certo ſcimus venenum reſidere occultum. Abſtinendum ab utroque, ſi fieri poteſt, Antiprobabiliſta docet, ut mortis periculum declinetur. Si bibendi alterutrum neceſſitas urgeat, ſerio expendendum addit in quonam poculo venenum latitet, & poſt ſeveram conſiderationem illud dumtaxat poculum ſeligendum, quod vacuum a veneno judicatur. Decipi in electione poteſt: at præmiſſa debita diligentia, excuſatione digna deceptio eſt. Contra Probabiliſtæ vi ſyſtematis ambo pocula bibi poſſe adfirmant. Nec obtrudatur venenum ſuapte natura mortem inferre nullo habito ad mentem reſpectu. Legem vero divinam regulam eſſe remotam, quæ ut mores dirigat, applicari proxime a practico dictamine debet. Si enim hæc opponeres, *Cl. Carpane*, quod in altera epiſtola ſub examen revocabo, argumenti vim te minime percipere oſtenderes. Expergiſcere ergo, & aures arrige. Nunc ſermo haud eſt de regulæ, ſeu legis æternæ applicatione, in qua decipi interdum omnes poſſumus. Sed diſputationis noſtræ argumentum eſt ipſum ſyſtema probabiliſticum, quod conſtituit ſumi poſſe ambo pocula, in quorum altero latitat venenum, ſeu docet æque falſitatem, ac veritatem regulam eſſe Evangelicæ Moralis, cum Probabiliſtæ acriter defendant, licitum uſum contradictoriæ doctrinæ, certiſſime ſcientes alterutram eſſe falſam. Ergo ſcientes, & volentes falſitatis venenum Chriſtianis propinant. Iterum repeto, ne ſaltites a ſyſtemate ad applicationem legis, & falſitatis pallio probabilitatis indutæ, quoniam de hoc infra erit ſermo. Nunc diſputatur, te certo ſcire ex duabus contradictoriis ſententiis alteram eſſe falſam. Ergo cum uſum utrinſque contradictoriæ licitum aſſeris, ſcientiſſime, & conſtantiſſime falſitatis veneficium bibendum Chriſtianis porrigis. Syſtema Evangelicum ſolam veritatem proponit, & jubet. Syſtema Probabiliſticum æque falſitatis, ac veritatis licitum uſum defendit. Ergo vi juſti, & evidentis ratiocinii ſyſtema Probabiliſticum eſt Antievangelicum.

IV. Ecce *Cl. Carpane* quomodo ex ſola, & ſimplici controverſiæ expoſitione ſententia tua, & Probabiliſtarum ſit Antichriſtiana, & Antievangelica. Dicas amabo te. Si quis ſciens, & volens doceret licitum eſſe falſitatis uſum, excuſari ne ab errore poſſet? Probabiliſtæ tam evidenter ſciunt, ſe docere licitum uſum falſitatis, quam evidenter cognoſcunt alteram ex contradictoriis doctrinis eſſe falſam, cum licitum, vi proprii ſyſtematis, utriuſque uſum aſſerant. Ergo liberari ab errore, vi juſti ratiocinii, nequeunt. Provoco te *Carpane* Pater, atque

Digitized by Google

que integrum Probabiliſtarum cœtum, ut perſpicuum, nitidumque reſponſum perhibeatis. At noli, quæſo te, in arenam irrumpere cum ſolitis tuis diſtinctiuncularum Catapultis: *Diſtinguo*, *ſubdiſtinguo*, *per ſe*, *per accidens*, *evidenter probabilior*, *probabilius probabilior*, *probabiliter probabile*, *probabiliter probabilior*, *leviter probabile*, *graviter probabile* &c. quia ejuſmodi ſpectra riſum extorquent ab ipſis Stoicis. Sed qua ſimplicitate, miſſis exaggerationibus, & declamationibus, conviciiſque, ego in apricum traduxi ſyſtema Probabiliſticum, eadem tu, ſi vales, rejice argumentationem factam.

V. Hactenus delineavi ſyſtema Probabiliſticum mitiſſimis coloribus. Nunc addo, non modo Probabiliſtas æque falſitatem, ac veritatem divendere, verum etiam falſitatem præferre veritati. Opinio minus probabilis natura ſua, & communiter plus falſa, quam vera eſt. Si enim minus veriſimilis eſt, ergo minus vera: ergo magis falſa, quam vera. Doctrina probabilior, & veroſimilior communiter vera eſt, licet contingere rarus caſus poſſit, in quo falſa ſit: ſi enim Theologus implorato Divino auxilio, & præmiſſo debito ſtudio, id amplectitur, quod in re controverſa propius veritati accedere dignoſcitur, raro contingit, ut erret, Deo ipſo teſte, qui petentibus veritatis notitiam ſe ultro conceſſurum millies promittit, ut infra patebit.

VI. Quid plura? Non ſolum Probabiliſtæ defendunt licitum uſum doctrinæ contradictoriæ, & probabilioris, & minus probabilis, ſed ultra pergunt, propugnantque, poſſe Doctorem Caſuiſtam conſultum ſuadere opinionem, quam ipſe certo reputat falſam, dummodo a quibuſdam viris doctis defendatur, ut probabilis. Verum ne hoc? Veriſſimum. Et ne ſuſpiceris, me Probabiliſtis quidquam imponere, ecce teſtimonium ineluctabile. R. P. Laymanus *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 7. quæ ſequuntur, propugnat. „ Doctor alteri conſulenti conſi-
„ lium dare poteſt, *non ſolum ex propria*,
„ *ſed etiam ex oppoſita* probabili aliorum
„ ſententia, ſi forte hæc illi *favorabilior*,
„ *ſeu exoptatior ſit*. Qua de re Vaſquez
„ *diſſ.* 62. *c.* 9. *n.* 47. Sanchez *in ſum. lib.*
„ 1. *c.* 9. *n.* 23. Lopez *p.* 1. *Inſt. c.* 120. Im-
„ mo arbitror nihil a ratione alienum fo-
„ re, ſi Doctor conſultus ſignificet conſu-
„ lenti opinionem a quibuſdam viris doctis
„ tamquam probabilem defendi; quam pro-
„ inde ſequi ipſi liceat, quamvis idem Do-
„ ctor ejuſmodi ſententiam ſpeculative *fal-*
„ *ſam eſſe CERTO ſibi perſuadeat*. “

VII. Habes *R. P. Carpane* Tuorum Sociorum penicillo naturam Probabiliſmi depictam ſane monſtroſam. Dum ejuſmodi paradoxa lepida dixerim, an funeſta, deridenda potius exhibemus, quam refellenda ſuſcipimus, & addimus in univerſa Ethnicorum Philoſophia talia commenta non occurrere; Tu, tuique repoſitis nos exclamationibus, & ſarcaſmis cauſam agere. Amicabili ergo colloquio pauliſper ratiocinemur. Doctores tui, & quidem claſſici, ut ſunt *Vaſquez*, *Sanchez*, *Eſcobarius*, *Laymanus*, atque adeo cæteri Probabiliſtæ conſulti a Chriſtianis ſuper graviſſimis morum capitibus uni conſulunt juxta propriam opinionem; alteri ſuadent juxta oppoſitam aliorum doctrinam. Illis dicunt hanc conventionem eſſe ſimoniacam: Alios docent eamdem omnino conventionem non eſſe ſimoniacam: hunc contractum eſſe fœneratium, hunc ipſum contractum non eſſe fœneratium. Ergo ſcientes, & volentes alios vivificant ſpiritu veritatis, alios perimunt veneficio falſitatis. Hæc ne Evangelica doctrina, quæ præcipit, ut ſermo Chriſtianus ſit, *eſt*, *eſt*: & *non*, *non*? Contra Idioma Probabiliſticum ſimul fatur, *eſt*, & *non eſt*: *licet*, & *non licet*: *ſufficit*, & *non ſufficit*. Ex eodem ore frigidum, & calidum: verum, & falſum: honeſtum, & obſcœnum. Et ad ultimum iſtius ſyſtematis complementum accedit, quod illam opinionem, quam falſam ſpeculative Doctor exiſtimat, conſulere Chriſtianis poſſit, dummodo ab aliis defendatur, ut probabilis, ſi iiſdem ſit *favorabilior*, & *exoptatior*. Excogitari ne blandior Theologia valet? Choreas ducere, Theatra frequentare, converſari cum amaſiis, luxum fovere, cambia ſicca exercere, ſunt opiniones, quas magnopere exoptant, & concupiſcentia carnis, & divitiarum cupiditas. Plures Caſuiſtæ has opiniones *practice* probabiles defendunt. Alii Probabiliſtæ eaſdem ſpeculative falſas judicant. At conſulere illas jure probabiliſtico valent, quia *favorabiliores*, & *exoptatiores* Chriſtianis judicantur. Hæc ſunt principia, quæ Doctores Claſſici, ſeu primipili Probabiliſmi docent. Nec cavillatio *ſpeculativi*, & *practici* quidquam præſidii affert. Nam doctrina ſpeculatrix dirigit doctrinam practicam. Ergo ſi falſa illa, falſa ſit hæc oportet. Numquid lapis probabiliſticus ea vi præditus eſt, ut veritatem ſpeculativam tranſmutare in falſitatem practicam, & fal-

ſita-

ſitatem in veritatem queat? Numquid de eadem actione, & eiſdem circumſtantiis ornata cognitio ſpeculativa falſa erit, & practica vera? Hæc itaque diſtinctio cognitionis ſpeculativæ, & practicæ, ut a Probabiliſtis adhibetur, chimærica omnino eſt. Siquidem dictamen ſpeculativum naturam actionis ſuis circumſtantiis ſeptæ reſpicit, dirigitque dictamen practicum, quod executionem imperat. Ergo ſyſtema Probabiliſticum, quod in eodem Throno falſitatem cum veritate collocat. Antievangelicum eſt, & Antechriſtianum.

§. II.

Sola veritas eſt unica norma operationis honeſtæ, & meritoriæ vitæ æternæ.

I. PRima, & univerſalis morum regula eſt lex eterna Dei, quemadmodum Omnipotentia Divina prima effectrix cauſa eſt cujuſcumque rei creatæ. Bonitas quæque creata eſt veluti gutta quædam dimanans a primo, & univerſali fonte. Siquidem voluntas creata, ex quo cauſa ſecunda ſit, Divinæ ſubjacet voluntati. Ergo qua ratione repugnat, voluntatem humanam eſſe primam cauſam, & Deo non ſubjectam, eadem repugnat aliquam operationem honeſtam eſſe, & bonam, niſi reipſa ſit voluntati Divinæ conformis. Quandoquidem ſi actio aliqua poſſet revera bona moraliter eſſe abſque reali conformitate cum voluntate Divina, jam actio aliqua moralis haberetur non dependens a prima regula, non ſubjecta Divinæ voluntati; atque adeo actio iſthæc a Deo non dependens, Deus eſſet.

II. Hæc omnia paucis explicat S. Thomas 1. 2. *q.* 19. *a.* 9. ubi hæc habet. *Requiritur ergo ad bonitatem humanæ voluntatis, quod ordinetur ad ſummum bonum. Hoc autem bonum primo quidem, & per ſe comparatur ad voluntatem Divinam, ut objectum proprium illius. Illud autem, quod eſt primum in quolibet genere, eſt menſura, & ratio omnium, quæ ſunt illius generis. Unumquodque autem rectum, & bonum eſt, inquantum attingit ad propriam menſuram. Ergo ad hoc, quod voluntas hominis ſit bona, requiritur, quod conformetur voluntati Divinæ.* Hæc Angelica doctrina altius animo tuo *Cl. Carpane* impreſſa maneat. Lex æterna regula remota eſt, & extrinſeca, ſeu objectiva, quæ applicari media cognitione, ſeu dictamine humanæ mentis ad operationem debet. Et hoc dictamen, ſeu conſcientia humana appellatur regula ſecundaria, & proxima honeſtæ operationis. Si mens humana recte, & vere applicat primam regulam, nempe legem æternam, actio honeſta eſt. Si errat in applicando primam regulam, nempe legem æternam, ſemper peccatum contingit, imputabile quidem, ſi error vincibilis ſit, ſi contra error ſit invincibilis, peccatum non imputatur erranti. Hanc quoque doctrinam 1. 2. *q.* 21. *a.* 1. Angelicus tradit. *In his vero, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima eſt ratio humana. Regula autem ſuprema eſt lex æterna. Quandocumque ergo actus humanus procedit in finem ſecundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus eſt rectus. Quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum.*

III. Heinc colligendum tamquam principium certum, & præ oculis ſemper habendum, nimirum omne rationis noſtræ dictamen debere eſſe primæ, & indelebili regulæ conforme, ut recte dirigere operationem valeat. Quoniam repugnat regulam ſecundam eſſe rectam, niſi per conformitatem ad primam. Nam ſi regula ſecunda recta eſſet, & non conformis primæ, jam eſſet prima honeſtatis regula, ut 1. 2. *q.* 19. *a.* 4. S. Thomas docet. *In omnibus cauſis ordinatis effectus plus pendet a cauſa prima, quam a cauſa ſecunda: quia cauſa ſecunda non agit, niſi virtute cauſæ primæ. Quod autem ratio humana ſit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas menſuretur, habet ex lege æterna, quæ eſt ratio divina.... Unde manifeſtum eſt, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ a lege æterna, quam a ratione humana: & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere.*

IV. Hæc ſunt principia ita inconcuſſa, & luculenta, ut, ſalva Religione, revocari in controverſiam nequeant. Et tamen Tu Cl. *Carpane* contendis cum tuis Probabiliſtis, actionem humanam conformem rationi humanæ erranti eſſe honeſtam, & moraliter bonam, quamvis contrariam, & repugnantem legi æternæ Dei. Porro ſicut lex æterna eſt prima regula, ita eſt lex veritatis, ut dictum eſt. *An non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam?* Non modo probabiliſſimam, ſed opinionem vere probabilem amplecti licite poſſumus. Quoniam lex veritatis non ſemper nobis clare innoteſcit, ſed duplici medio illam attingimus, altero certo, & evidenti, altero probabili, & veroſimili. Eo ſane dirigere ſtudia

dia noſtra debemus, ut veritatem ipſam aſſequamur, quoad fieri poteſt. At non ſemper eamdem reapſe acquirimus. Satis nobis eſt, ut poſt debitam inveſtigationem, & diligentiam judicemus verum eſſe, honeſtum, & conforme æternæ legi objectum, circa quod operaturi ſumus. Si veritatem aſſequuti ſumus, actio noſtra conformis eſt æternæ legi, & bona, & poſitis aliis conditionibus, meritoria. Contra ſi objectum vitioſum reipſa ſit, & legi æternæ oppoſitum, & nobis probabiliter propoſitum, ut honeſtum, & bonum, actio noſtra revera vitioſa eſt: nobis tamen non imputatur ad culpam, dummodo debitam diligentiam præſtiterimus in inveſtiganda veritate.

V. Certum ergo principium eſt ſolam veritatem eſſe regulam unicam veræ, & realis bonitatis: veritatem, inquam, aut evidenter, & certo, aut probabiliter, & obſcure cognitam. Illud quoque certum eſt, quod dum falſitas ſub probabili ſpecie veri nobis apparet, actio noſtra in ſpecie bona, reapſe tamen vitioſa eſt. Vitium autem nobis non imputatur ad culpam, ut dictum, & dicendum ſæpius eſt, ſi pro aſſequenda veritate negligentes, & pigri non fuerimus. Hæc adeo certa, & luculenta ſunt, ut nullis eludi Probabiliſtarum cavillationibus queant. Negabis ne *Cl. Carpane*, Deum eſſe primam cauſam? Inficias ne ibis Legem æternam eſſe primam regulam, primamque menſuram cujuſcumque bonitatis creatæ? Negabis ne legem hanc æternam legem eſſe veritatis, & honeſtatis? Negabis tandem errorem, falſitatem, & malitiam cum hac æterna Dei lege pugnare? Profecto, niſi velis veritatem, & falſitatem una conſociare, fatearis oportet, omnem opinionem falſam contrariam eſſe legi æternæ Dei. Ergo nulla opinio falſa eſſe poteſt regula ſecundaria operationis honeſtæ. Quoniam nulla regula ſecunda recte dirigere operationem honeſtam, & moraliter bonam valet, niſi ut ſubjecta regulæ primæ. Æque autem repugnat opinionem falſam ſubjici, & dirigi ab æterna Dei lege, ac errorem conjungi cum veritate.

VI. Quis eſt, qui Probabiliſmi ad præfata principia certiſſima collati falſitatem non videat? Probabiliſmus, qui eſt regula ſecunda moralis operationis, nihil curat veritatem, ſed a veritate, & falſitate præſcindit. Ita ipſi docent, et unum referre ſufficiat, ne ſim longus, R. P. *Nicolaum Ghezium*, qui in ſuis Dialogis *pag.* 53. hæc ſcribit latine reddita. *Ad ſtabiliendam ſententiam Probabiliſtarum* NIHIL REFERT, *ut poſſit directe affirmari opinionem minus probabilem* ESSE VERAM. *Sufficit affirmari poſſe illam eſſe vere probabilem.* Ita docent omnes. Nihil ergo ad Probabiliſtas in rebus incertis attinet lex Evangelica, quæ eſt lex veritatis, nihil lex æterna, nihil præceptum inquirendæ veritatis. Probabilitas illis ſatis eſt. Sit hæc vera, ſit falſa. Nihil ad ipſos attinet illud S. Jacobi: *Si quis indiget Sapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Nihil ad ipſos pertinet illud S. Pauli Apoſtoli: *Cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Nam ſecuri, & tuti inter ſuas contradictorias doctrinas probabiliores, æque probabililes, & minus probabiles ambulant in viis ſuis, & eas ſeligunt, quæ *favorabiliores, & exoptatiores* ſunt humanæ libertati contra legem, dummodo ſint vere probabiles. Non eſt ergo mirum, ſi ſyſtema Probabiliſticum, quod nihil curat veritatem, detrudat in Panteiſmum. Hæ ſunt declamationes ex Scripturis Sanctis hauſtæ. Divinæ Scripturæ non tractant quæſtionem Probabiliſmi. Argumentatione ergo cauſam urgeamus. Syſtema Probabiliſticum propugnat opiniones aut æque probabiles, aut minus probabiles, ideſt, aut æque falſas, ac veras, aut plus falſas, quam veras, regulam eſſe voluntatis humanæ: ſed impoſſibile eſt ejuſmodi regulam conjungi, & ſubjici legi æternæ, quæ eſt lex ſolius veritatis.

VII. Urgeo argumentationem. Qui operatur juxta opinionem minus Probabilem, quæ legi adverſatur, ſavetque libertati, ſincero corde non inveſtigat legem, neque inquirit, quæ ſit Dei voluntas. Ergo peccat. Evinco antecedens. Qui operatur ſecundum opinionem minus probabilem, evidenter cognoſcit operationem ſuam eſſe magis contrariam, quam conformem æternæ legi: cognoſcit ſe magis a lege recedere, quam accedere ad legem. Ergo ex animi ſententia legem non inquirit. Sincere ne, & animo deliberato Romam peteres, ſi viam ſcienter arriperes, quæ veroſimilius Roma abduceret, quam duceret Romam? Quis dixerit efficaciter velle finem eum, qui media minus apta, aptioribus rejectis, ad finem obtinendum eligit? Stultus ſane ab omnibus haberetur, qui talia perageret. Nec reponas, quamlibet opinionem, etiam minus probabilem, dummodo vere probabilis ſit, proponere objectum honeſtum: Quoniam hæc eſt mera petitio principii, ut dicitur, & verborum circuitio. Opinio minus probabilis, ſeu minus vera, nulla vera fruitur probabilitate, quia in re-

bus

bus dubiis, & incertis id ſolum vere probabile eſt, quod vero ſimilius, quod magis accedit veritati. Siquidem, ut alias dictum eſt, ſi veritas ſplenderet, amplecti illam deberent etiam Probabiliſtæ: ergo eadem ratione operari aſtringuntur juxta id, quod magis veritati accedere ipſi cognoſcunt.

VIII. Verum, ut luculentius natura, & indoles Probabiliſmi refulgeat, ejuſdem axiomata exponenda ſunt. *Probabiliſta ut honeſte agat, nihil curat veritatem, ſed probabilitatem. Non aſtringitur inveſtigare æternam Dei legem, ſive præcipientem, ſive probibentem: ſed poteſt a tali inveſtigatione præſcindere. Nihil refert, ſuam operationem conſentaneam eſſe æternæ legi, dummodo opinione probabili dirigatur. Probabilis autem opinio eſt, ſi Doctores Caſuiſtæ, præſertim Claſſici, illam probant. Præceptum conformandi operationes noſtras cum æterna lege, quæ eſt lex veritatis, commentitium ſophiſma eſt. Probabiliſtis ſatis eſt opinionem minus probabilem ſequi, rejecta probabiliore. Nihil omnino refert, quod ſit vera, aut falſa. Actiones ipſæ turpes, & vitioſæ, ut adulteria, perjuria, fœnora, mendacia, & alia id genus evadunt honeſta & æternæ vitæ meritoria, dummodo opinione minus probabili, & ignorantia invincibili dirigantur.* Perhorreſcis ne, amice lector, dum talia audis? Et tamen hæc eſt nativa, atque germana Probabiliſmi pictura. Et ne mentem tuam ſuſpicio ſubeat aliquid a me per exaggerationem dictum eſſe, lubet ipſorum Probabiliſtarum verbis omnia confirmare. Quod ipſi nihil curent veritatem ex iis, quæ dixi, compertiſſimum eſt. Quod ipſa ſcelera ignorantia invincibili obtecta, ſint æternæ vitæ, meritoria mox, patefaciam.

§. III.

Scelera conſcientia erronea invincibiliter errante directa, ſunt æternæ vitæ meritoria juxta Probabiliſtas.

I. VIX eredi paradoxa valent, quæ excogitarunt Recentiores Doctores, ut ruentem Probabiliſmum ſuſtineant. Deo tribuunt non minus errorem, quam veritatem. Sic enim ſcribit R. P. Carolus Antonius Caſnedi in Dedicatione ſecundi tomi Probabiliſtici in folio ad Chriſtum JESUM. Cum Magiſter veritatis ſis, adeo humanæ condeſcendis inſcitiæ, ut in tuo veritatis Tribunali ERROR inculpatus ipſam COÆQUET VERITATEM. *Eum enim non accuſas, ſed excuſas: non plectis, ſed* PRÆMIARIS: *ipſam tuam legem habendo pro non lege, & tuam non legem habendo pro lege:* SI LEX UT NON LEX, ET NON LEX UT LEX *invincibiliter proponatur*. Adeo doctrina veritatis huic Probabiliſtæ diſplicet, ut Antiprobabiliſtas, quaſi ſectarios vocet hac celebri nomenclatura inſignitos: VERISTÆ. Sic enim hoc eodem *tomo* 2. *Diſp.* XI. *ſect.* XI. *num.* 310. ſcribit. *Inter Antiprobabiliſtas, quo nomine veniunt quotquot noſtram ſententiam impugnant, alii ſunt, ut ita dicam* VERISTÆ. Deus veritas eſt. Ergo Veriſtarum, non Antiveriſtarum caput eſt.

II. Quid hiſcis Cl. *Carpane*. An dicturus es cum tuo R. P. *Nocetio*, textum non eſſe legitime, & ſincere tranſcriptum? Lege ipſum Caſnedi, & colliges germanum eſſe teſtimonium. Quid quod omnes Probabiliſtæ Reflexiſtæ ita docent, & præ cæteris claſſicus Doctor R. P. Antonius *Terillus*, qui *tom. de Conſcientia quæſt.* 16. *n.* 27. hæc ſcribit. „ Quod mentiens V. G. ex errore, quo invincibiliter putat, mendacium eſſe rem Deo gratam, laudabiliter operetur, probatur: quia actus voluntatis non aliter dependet a prævio dictamine conſcientiæ ad contrahendam malitiam, quam ad contrahendam bonitatem: ſed actus diſcordans a dictamine conſcientiæ, etſi erroneæ, malus eſt, eamque rationem malitiæ contrahit, quam dictamen errans proponit, ut conſtat. Ergo actus concordans dictamini conſcientiæ invincibiliter erranti, bonus eſt: eamque rationem bonitatis acquirit, quam dictamen falſum proponit. *Nec enim major vis eſt in dictamine falſo ad refundendam bonitatem in actum conformem.* “ An in hac doctrina quidquam Pelagianiſmi cubet, judicent doctiores. Homo ſeipſo peccare valet: ut bonum operetur, indiget Dei gratia. Et R. P. *Terillus* eamdem vim tribuit dictamini conſcientiæ falſo ad refundendam malitiam in actum difformem, ac ad refundendam bonitatem in actum conformem? Non ergo plus requiritur ad moralem bonitatem, & ad meritum vitæ eternæ quam ad peccandum. Doctrinam P. *Terilli* tranſcribit P. Claudius La Croix *lib.* 1. *num.* 14. & *ſeq.* Eamque non reformidat S. Thomæ adſcribere.

III. Refellitur, & penitus profligatur recenſita doctrina Probabiliſtica. Conſcientia invincibiliter erronea excuſat a culpa, ut omnes Catholici fatentur: ita ut opus pravum directum ad ignorantia invincibili non imputetur ad culpam. Diſputatur dumtaxat,

num

num opus vitioſum, puta adulterium, mendacium, perjurium &c. non ſolum non imputetur ad culpam, ſed præterea evadat opus bonum, & vitæ æternæ meritorium, ſub tali ignorantiæ pallio. Adfirmantem ſententiam defendunt Probabiliſtæ, & ut fucum faciant imperitis Terillus, & La Croixius *loc. cit. n.* 15. in hujus erroris patrocinium allegant S. Thomam, qui expreſſe 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. oppoſitum docet his verbis. *Ad primum dicendum, quod ſicut Dionyſius in* 4. *de Div. nom. bonum cauſatur ex integra cauſa, malum autem ex ſingularibus defectibus. Et ideo ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, ſufficit, ſive quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc, quod ſit bonum, requiritur, quod UTROQUE MODO ſit bonum.*

IV. Reſpondet P. Terillus de *Reg. Mor. p.* 1. *q.* 3. *n.* 12. intelligendum S. Doctorem de ratione errante *vincibiliter*; alioquin, inquit, S. Thomas *contradiceret dictis in corpore articuli*. Hoc tu *Cl. Carpane* reſponſum Terillianum fide bona exſcripſiſti *pag.* 137. ubi inquis: *Niſi ita, vel ſimili modo explicetur S. Doctor, ſibi manifeſté contradiceret*. Quia Angelicus labefactat paradoxa probabiliſtica, idcirco ſibi contradicit. Sed Angelici doctrina adeo perſpicua eſt, ut nulla trica probabiliſtica eludi poſſit. Illam confirmat Angelicus *q.* 17. *de verit. a.* 4., *ubi quærit, utrum conſcientia erronea liget*, & relata ſententia negante, hæc docet. *Sed qui hoc dicunt, non videntur intelligere quid ſit conſcientiam ligare. Secundum hoc enim conſcientia ligare dicitur, quod aliquis, niſi conſcientiam impleat, peccatum incurret: non autem hoc modo, quod aliquis implens RECTE faciat*. Sermo hic eſt de conſcien- invincibilitet errante, quæ ſola ligat. Qui illam implet, excuſatur a peccato. Ergo honeſte operatur? Minime, gentium reponit Angelicus. *Non autem hoc modo quod aliquis implens RECTE faciat*. Suam doctrinam hauſit S. Thomas ex S. Auguſtino, qui *lib. de utilitate credendi cap.* 12. hæc ſcribit. *Omne factum, ſi recte factum non eſt, peccatum eſt. Nec recte factum eſſe ullo modo poteſt, quod non a RECTA RATIONE proficiſcitur. Porro recta ratio eſt ipſa virtus*. Intellexiſtin? Decretoria hæc ſunt. Nec *ullo modo*, inquit Magnus Pater, factum rectum eſt, niſi *a recta ratione proficiſcatur*: Ergo neque *per ſe*, *neque per accidens* opus procedens *a ratione invincibiliter errante* bonum eſſe poteſt. Eandem doctrinam docet S. Bernardus *lib. de diſpenſation.*, *& præcep. cap.* 14. *n.* 34., cujus capitis titulus hic eſt. *Cur conſcientia errans non æque convertat malum in bonum, uti bonum in malum?* Non ne hæc controverſia noſtra eſt? Reſpondet autem S. Doctor. *Mirum quippe vobis, immo & injuſtum videtur, ut plus in malo, quam in bono humanæ valeat intentionis opinio. Si reſpondero de malis quidem merito ita credi propter oculum nequam: reſpondebitis & mihi non immerito quoque propter ſimplicem oculum idem æque putandum & de bonis. Nam, qui dixit ex oculo nequam corporis tenebras æſtimari, indicavit, & de ſimplici lucem æque corporis apparere. Sed videte, ne forte non ſit vere oculus ſimplex, qui fallitur. Fallitur enim tam qui bonum malum, quam qui malum bonum putaverit. Scitis autem neutrum horum VÆ illud vitare propheticum:* Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Num. 36. *Ego vero ut interior oculus vere ſimplex ſit, DUO illi arbitror neceſſaria: caritatem in intentione, & in electione VERITATEM. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed VERUM non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Et neſcio quemadmodum judicio veritatis, vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas.... Cur? Inquis. Num quid non ex fide? Prorſus ex fide, ſed falſa: vel potius certe non ex fide: quia fides falſa, fides non eſt*. Hæc perſpicua ſunt. Ut clarius tamen veritas innoteſcat, advertas velim plures actus intervenire, dum quis conſcientia erronea invincibili opus malum operatur. Poteſt enim quis dum exercet opus materialiter malum habere bonam intentionem placendi Deo, obediendi, implendi legem. Et hos actus bonos eſſe nemo inficiatur. Sic affectus Jacob non cognoſcendi, niſi ſuam, & procreandi filios, & placendi Deo bonus fuit. Sed conjunctio cum Lia mala fuit, licet propter ignorantiam invincibilem non fuerit eidem imputata ad culpam. De hoc ergo opere malo diſputatur, num evadere bonum poſſit, & meritorium vitæ æternæ, ut contendunt Probabiliſtæ.

V. Rationum momentis confirmatur doctrina S. Thomæ, & omnium Patrum, & Scripturarum Sanctarum. Conſcientia eſt regula proxima voluntatis humanæ: Sed conſcientia erronea nequit eſſe regula voluntatis bonæ: Ergo falſa eſt ſententia probabiliſtica. Evinco ſecundam propoſitionem. Voluntas bona eſt voluntas recta; ſed voluntas recta opponitur conſcientiæ erranti:

ergo nequit ab eadem dirigi. Quod bona voluntas ſit recta, patet. Bonum enim rectum eſt. Ergo ſicut linea curva nequit conformari lineæ rectæ: ita voluntas recta nequit moderari conſcientiam errantem. Ut conſcientia errans dirigeret voluntatem rectam, deberet eſſe recta. At repugnat conſcientiam errantem eſſe rectam, non minus ac errorem eſſe veritatem. Si in ſcribendo adhiberes lineam curvam, numquid efficeres lineam rectam? Præterea voluntas humana nequit eſſe bona, niſi conformetur voluntati divinæ, ſeu legi æternæ, quæ eſt lex veritatis, ut oſtenſum ſupra eſt. Hæc quippe voluntas æterna eſt prima regula, primum exemplar cujuſcumque voluntatis creatæ bonæ, & rectæ. Primum enim in unoquoque genere eſt cæterorum ejus generis menſura. Sed voluntas creata directa a ratione invincibiliter errante, quæ proponit mendacium, furtum, perjurium, & alia ſcelera, ut bona, nequit in Divinam voluntatem revocari, niſi in Deum refundere ſcelera velis.

VI. Reſpondent Probabiliſtæ, & eorumdem collector R. P. Claudius La Croix *lib.* 1. *num.* 24. abſurdum eſſe, quod voluntas mentiendi revocetur in Deum, & a Deo approbetur: *per ſe concedo: per accidens nego*. Audiſtin? Mendacium ergo in Deum revocatur, & a Deo *per accidens* approbatur? Deus *per accidens* confert præmium mentientibus? Quid ſignificat *To per accidens*? Significat quod Deus approbet mendacium, perjurium &c., poſita ignorantia invincibili talium criminum. Porro ut doctrinæ hujus errorem clarius teneas, in mentem revoca doctrinam Probabiliſtarum defendentium dari poſſe ignorantiam invincibilem & juris naturalis, & potiori jure Divinæ legis, & Religionis. Quo poſito voluntates infidelitatis, ethniciſmi, Mahumetiſmi, Lutheraniſmi, Calviniſmi, Arianiſmi, Neſtorianiſmi, aliarumque ſectarum voluntates: hæ, inquam, voluntates invincibilis ignorantiæ directæ a Deo approbantur, & præmiantur. Quid plura? Atheiſmus ipſe revocandus in Deum erit. Nam ſecundum PP. tuos Ludovicum Molinam, Arriagam, & Platellium, qui ſunt Doctores claſſici, dari ipſius Dei ignorantia invincibilis poteſt. Poſtremum dari ignorantia invincibilis valet juxta adverſarios fornicationis, pollutionis, & ſimilium criminum. Ex quibus ſic arguo. Mendacia a conſcientia invincibiliter errante propoſita ſunt bona, & præmio æterno digna. Ergo bona quoque erunt furta, pollutiones, hæreſes, idololatriæ, & cætera ſcelera, quorum ignorantia invincibilis haberi, juxta Probabiliſtas, poteſt. Nec enim eſt major ratio, cur mendacia bona, & præmio æterno digna ſint, ſecus furta, fornicationes, pollutiones, idololatriæ. Si æque iſtorum criminum, ac mendaciorum haberi juxta adverſarios ignorantia invincibilis poſſit.

VII. Quid obſtat, reponit P. La Croix poſt Terillum, hæc horrenda flagitia eſſe bona, & præmio digna? Forſitan quod ſint natura ſua mala, ut mendacia, & cætera crimina? Verum, reſpondet ille, licet natura ſua mala ſint, tamen a ratione invincibiliter errante repræſentantur ut bona. Voluntas autem ſpeciem capit ab objectis, non in ſeipſis, ſed ut repræſentantur ab intellectu. Peregregie more Probabiliſtico. Neceſſaria utique eſt applicatio, & repræſentatio mentis, ut objectum voluntas amplectatur. At numquid hæc mentis repræſentatio naturam mutat objectorum? Numquid mens probabiliſtica efficit, ut mendacium evadat verum: ut fornicatio, pollutio, perjuria, furta, hæreſes evadant bona? Nonne mendacia, pollutiones, furta, fornicationes, & cætera crimina, nulla cogitante mente, natura ſua mala ſunt, & Divinæ voluntati oppoſita? Cedo. Conſcientia invincibiliter errans aufert ne ab his flagitiis realem hanc oppoſitionem cum Divina voluntate, & bonitate? Neque divina Omnipotentia auferre hanc oppoſitionem valet. Mens humana, juxta Probabiliſtas, iſtorum ſcelerum cum divina voluntate oppoſitionem ignorare poteſt: at tollere ab eiſdem talem oppoſitionem nequit. Ergo ejuſmodi mala opera in Divinam voluntatem revocari nullo modo queunt. Ergo nec bona, nec meritoria dici poſſunt. Quoniam omnis bonitas, & omne meritum a Deo ſunt. Ergo alterutrum dicendum: aut bonitatem moralem, & meritum vitæ æternæ reperiri, quod a Deo non ſit: aut negandum hæc crimina conſcientia invincibiliter errante propoſita, eſſe bona, & meritoria. Preſſius urgeo. Nulla actio vitæ æternæ meritoria abſque divina gratia. Si mendacia, perjuria, fornicationes, & alia crimina ignorantia invincibili propoſita, ut honeſta, meritoria forent, jam gratia divina in eadem influeret. Alterutrum enim concedant oportet Probabiliſtæ. Aut fateantur opera æterna gloria digna ſine gratia; & hæc eſt hæreſis: aut concedant neceſſum eſt gratia Divina adjuvari humanam

Google

nam voluntatem ad mentiendum, ad fornicandum, adulterandum, pejerandumque, quoties homo conſcientia invincibiliter errante exiſtimat bona eſſe mendacia, fornicationes, adulteria, perjuria &c.

VIII. Nihil tam luculentum, nihil tam evidens eſt, quod obſcurare Probabiliſtæ non conentur. Reſpondet R. P. *La Croix* Probabiliſtarum nomine *lib. 1. num. 29.* inquiens. *Omnis voluntas per ſe bona, eſt a Deo Auctore, concedo: Per accidens bona, nego*. Aut ego communi ſenſu careo: aut hoc reſponſum continet errorem manifeſtum, ne dicam hæreſim. *Voluntas per accidens bona non eſt a Deo?* Voluntas hæc vere, & realiter bona eſt, juxta Probabiliſtas: & hæc bonitas meretur præmium vitæ æternæ. Ergo datur vera bonitas moralis, & meritum vitæ æternæ per accidens; ideſt ratione ignorantiæ invincibilis, quod non ſit a Deo. Hoc meritum, & hæc vera bonitas per accidens non dependent a Deo, fatentibus adverſariis. Ergo aut voluntas humana eſt prima cauſa hujus veræ bonitatis, & realis meriti; Aut admittendus eſt alter Deus, qui ſit prima cauſa bonitatis moralis, & meriti vitæ æternæ per accidens. Reſpondere Probabiliſtæ valent *tric*, *& trac*, ſeu reponere queunt tricas, & gerras. At nihil unquam reperient, quod nodum hunc abſcindat. Si plura hac de re cupis, conſule *tom. 2. Apparat. ad Theolog. Chriſt. diſſ. 1. cap. 5.* ubi omnia Terilli, La Croixii, & aliorum ſophiſmata. profligata invenies.

EPISTOLA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

Inauditum arcanum excogitatum a R. P. Antonio Terillo, & ab aliis Probabiliſtis adoptatum, quo a ruina ſervetur Probabiliſmus.

R. P. Antonius Terillus Anglus ingenio acri, acutoque, ut vidit machinam Probabiliſticam principiis *directis* nixam, penitus corruere, aliis ipſe fulcris eamdem ſuſtinere labantem infelici conatu adniſus eſt. Probabiliſmo directo repulſo, Probabiliſmum reflexum invexit, quia doctrinæ falſæ in dies mutantur. In lucem emiſit tomum in 4. Leodii anno 1669. inſcriptum: *Tractatus de conſcientia probabili*. Deinde aliud volumen in folio anno 1677. pariter Leodii edidit *de Regulis morum*. Intellexit acutus Probabiliſta argumentationem ſupra explicatam, nempe voluntatem humanam conformari neceſſario debere cum prima Regula, æterna Dei lege, ut operationem honeſtam eliciat, adeo evidentem eſſe, & manifeſtam, ut funditus evertat, deſtruatque Probabiliſmum. Ut eumdem huic ruinæ ſubduceret, effinxit duo paradoxa univerſæ antiquitati, immo & ipſis Probabiliſtis anterioribus incognita, nempe duas leges æternas contradictorias in Deo, quarum unam antecedentem, alteram conſequentem appellat.

§. I.

Doctrina R. P. Terilli fingentis in Deo legem æternam primariam, & ſecundariam, directam, & reflexam exponitur ejus verbis.

I. NUllam mihi fidem adhiberent lectores in iis, quæ ſcripturus ſum, niſi propria Terilli verba tranſcriberem. Hæc itaque *de conſcien. probabil. q. 11. n. 11. pag. 160.* docet. „ Omnis Dei voluntas regulans „ moralitatem, vel eſt præcipiens, vel vetans, „ vel certe conſulens, aut certe permittens „ electionem alicujus objecti. Omnis autem „ voluntas Dei, ſeu lex æterna hujuſmodi „ ad *duas claſſes reducitur:* quarum altera „ talis eſt *per ſe*: alia talis eſt *per accidens*. „ Do exemplum, & rem declaro. Illa Dei „ voluntas obligat *per ſe*, qua Deus directe, & ex primaria intentione exigit a „ nobis aliquod obſequium. Talis eſt voluntas, qua Deus omnibus directe præcipit obſervationem Decalogi, & auditionem Sacri diebus feſtivis: quia per ſe „ directe, & ex primaria intentione Deus a „ Creaturis ſuis poſtulat hæc obſequia ſibi „ præſtari. Illa vero voluntas Dei obligat

„ *per accidens*, qua Deus neque directe, „ neque ex primaria intentione, ſed ſolum ex ſuppoſitione alicujus ignorantiæ, „ vel erroris in mente creaturæ hic, & nunc „ exigit obſequium ab illa.... *Hæc diſtinctio, utpote ſummi momenti, omnino præ „ oculis eſt habenda.* „

II. Hæc doctrina Deum ipſum efficit Probabiliſtam, & in Deo chimeras effingit: legem æternam tribuit in leges duas mutuo pugnantes, & contradictorias. Heinc duo colligit P. Terillus. Primum dictamen noſtræ conſcientiæ eſſe verum, etiam dum homo operatur ex errore *vincibili*. Refugis credere? Audi ipſum Terillum de *conſcientia prob. q. 17. n. 44. pag. 271.* hæc ſcribentem. *Univerſaliter loquendo ultimum conſcientiæ dictamen eſt verum, & evidens, etiam quando homo operatur ex mera ignorantia vincibili.* Vin' clariora? Alterum, quod voluntas noſtra ignorantia vincibili directa, conformis eſt alicui divinæ voluntati reflexæ. En illius verba *loc. cit. n. 45. pag. 272. Voluntas conformis dictamini conſcientiæ etiam vincibiliter errantis conformatur cum ALIQUA Dei voluntate ſaltem per accidens obligante, aut conſulente &c.* Cum aliqua voluntate Divina conformatur error vincibilis? Divina voluntas ſaltem per accidens obligat, aut conſulit errorem vincibilem? Quid reponis *Cl. Carpane?* An hæc non ſunt monſtroſa paradoxa? Sed audias velim doctiſſimum Socium tuum P. Ignatium de Camargo *lib. 1. contr. x. a. 1. §. 1. n. 8.* Sic fantem. „ Itaque ſecundum *Terillum* quoties Judæus E. G. obcœcatiſſimus, & obſtinatiſſimus firmiter apud ſe „ concludit, per ſummam pertinaciam, & „ impietatem, Chriſtum fuiſſe blaſphemum, „ ac ſeductorem, adeoque ſibi merito execrandum, hoc ipſius *dictamen eſt abſolute „ verum, & evidens.* Et ex illius ſuppoſitione jam Deus ipſi conſulit, ac jubet, ut „ *Chriſtum deteſtetur, atque contemnat.* Et „ hæc doctrina *Terillo Judice*, & rectiſſime „ quidem judicante, eſt non ſolum conducens, „ ſed penitus neceſſaria ad benignam ſententiam ſuſtinendam. *Admiranda ſane Theologia, & Eccleſiæ catholicæ penitus neceſſaria: O Deus meus, & Magiſter meus! Hæc „ eſt doctrina illa, quam niſi tu docuiſſes Eccleſiam tuam, illam per unum ſeculum „ deſtruiſſes. Ita jam docetur, & auditur, „ & creditur ab innumeris. O tempora noſtra infelicia!*

III. Ne dicas *Cl. Carpane*, exclamationibus nos ornare cauſam noſtram. Clarius proponitur *Terilli* doctrina. Opinio minus probabilis juxta Terillum, licet falſa, conſentanea eſt legi reflexæ. Ergo contraria erit legi primariæ, & per ſe. Falleris, reponit Terillus; quoniam opinione minus probabili præſuppoſita, lex conſequens revocat id, quod lex antecedens, & primaria præſcripſerat, quia lex antecedens præcipit honeſta, vetatque mala dependenter a Lege conſequente reflexa. Porro hæc lex reflexa in Deo conſurgit, quoties in mente humana datur opinio minus probabilis, quæ ut licitum repræſentat, quod natura ſua vetitum eſt a lege primaria. Petrus vi opinionis minus probabilis reputat licitum mendacium. Hac data hypotheſi, lex reflexa conſequens abrogat legem æternam antecedentem, seu lex antecedens in his caſibus non prohibet mendacium. En Terilli *loc. cit. q. 28. pag. 577.* exemplum. „ Ponas Petrum ex errore „ invincibili exiſtimare ſe poſſe, aut etiam „ debere dimidiare confeſſionem ſuorum peccatorum: in hoc caſu Petrus dimidiando „ confeſſione ſuam nulli legi æternæ contrariatur, nec *ullam vel materialiter* traſgreditur. Nulla enim datur lex æterna, „ quæ univerſim dicat: *Nulli umquam liceat confeſſionem dimidiare, quia Deus „ habet aliam legem æternam dicentem: Petro hic, & nunc liceat ſuam confeſſionem „ dimidiare.* At hæ leges ſunt contradictoriæ. „ Ergo cum certum ſit ſecundam exiſtere, „ certum eſt primam non dari. Lex ergo „ æterna vetans omnibus dimidiare confeſſionem non eſt ita univerſalis juxta latiſſimam illam vocum ſignificationem. Sed „ reſtringitur ad hunc ſenſum: *nolo quemquam ſuam confeſſionem dimidiare, cui „ hanc meam voluntatem ſufficienter ſignificavero.*

IV. Deum ergo ſibi loquentem habent Probabiliſtæ, illiſque ſignificantem eſſe mentiendum, quoties ignorantia invincibili judicant, licitum eſſe mendacium? Quid crocitant Antiprobabiliſtæ contra hanc doctrinam, inquit *loc. cit. pag. 558.* Terillus? Ænigmatica eſt doctrina noſtra, quæ ipſos latet, & aerem verberant. En illius verba. *Adverſarii autem, qui nondum intellexerunt hoc MYSTERIUM, aerem verberant.* Recte judicaſti. Myſterium, & arcanum inauditum eſt hæc doctrina, quæ Deum ſibi contradicentem, varium, mutabilem, inconſtantem efficit, Deoque leges contradictorias, quarum una alteram relaxat, affingit, fere non ſecus, ac Ethnici ſuis numinibus fabulas attribuebant. Terillus ſic fantem

Deum

Digitized by Google

Deum introducit. Nolo, inquit Deus, hominem in ſuis operationibus inveſtigare diligenter, quæ ſit mea abſoluta voluntas, qua præcipio bona, vetoque mala: neque illum adlaborare, ut opera ſua ad hanc meam æternam legem conformet: quia ſat eſt, ut opinione minus probabili inbutus, etiamſi error ſit vincibilis, conformet ſua opera mendacia, perjuria, pollutiones &c. cum lege æterna reflexa conſequente, quam commentus eſt R. P. Terillus. Quis non perhorreſcat ad hanc ſolam Terillianæ doctrinæ expoſitionem? Quid, clamant omnes, Terillum, & cæteros Probabiliſtas movit, ut tam immane commentum Deo affingerent? Extrema neceſſitas Probabiliſmi defendendi. Probabiliſmus enim directus, quem excogitavit Medina cognoſcitur evidenter magis repugnans, quam conformis æternæ Dei Legi. Opinio enim minus probabilis eſt magis contraria quam conformis æternæ legi. Mendacia, perjuria, fornicationes abſolute prohibentur ab æterna lege primaria. Quomodo hæc honeſta, quomodo æterno præmio digna evadere poſſunt, niſi alicui legi divinæ conformentur? alioquin humana voluntas eſſet prima, & ſuprema regula. Excogitanda ergo fuit in Deo lex æterna reflexa, & conſequens, quæ, in hypotheſi erroris invincibilis, & ſecundum Terillum *vincibilis*, approbet mendacia, perjuria, falſitatem, furta prohibita abſolute a lege æterna primaria antecedenti.

V. Bene habet, inquis. Sed quodnam hujus novæ doctrinæ fundamentum? Duo. Primum neceſſitas extrema a ruina ſervandi Probabiliſmi. Alterum R. P. Terilli cerebrum, & impotens voluntas erga Moralem, quam appellat benignam, quia ſavet libertati contra legem. Ex ſolo *novitatis* capite improbanda eſt doctrina hæc. Inquit quippe S. Paulus Hebr. 13. *doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*. Probabiliſmo apprime dictum Oſeæ *cap.* 13. quadrat. *Factura artificum totum eſt*. Doctrina probabiliſtica tota humana eſt a Deo reprobata Matt. 15. *Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Et ne tu *Cl. Carpane*, & cæteri Probabiliſtæ conſuetam inſtituere lamentationem poſſitis, quod nos declamationibus cauſam agamus, oro, obteſtorque vos, ſimulque provoco, ut producatis, non dico aliquem Scripturæ Divinæ textum, vel aliquem Patrem, aut Concilium; ſed unum ſolum Theologum, aut antiquum, aut recentem, aut clari, aut obſcuri nominis, qui præfatam legem reflexam conſequentem Deo affinxerit, aut ejuſdem vel leviter meminerit. Terillus nullum allegat, non omiſſurus, ſi potuiſſet. Ceteri Probabiliſtæ neminem citant, præter Terillum. Alterutrum igitur vobis, *Cl. Carpane*, præſtandum eſt. Aut concedatis oportet, nos jure ſummo deteſtari hanc veſtram doctrinam, tamquam *novam*, & *inauditam*: aut vos deſignare debetis aliquem, vel obſcuri nominis Theologum, qui ante Terillum deſcriptam legem reflexam conſequentem in Deo excogitaverit. Iſta non eſt declamatio; Sed ineluctabilis argumentatio. Quid hiſcis, quid muſſitas Carpane Pater? Alterutrum tibi præſtandum eſt. Nulla ad effugium latebra patet.

§. II.

Invictis rationum momentis chimærica evincitur lex æterna reflexa, quam pro ingenio effinxit in Deo P. Terillus, & poſteriores Probabiliſtæ. Immania abſurda hanc probabiliſticam doctrinam conſequuntur.

I. Sempronius invincibiliter credit ſibi eſſe mentiendum, pejerandum, ut periclitanti proximo ſubveniat. Terillo teſte, & cum ipſo Probabiliſtæ cæteri docent, Deum in hac hypotheſi conſulere, & præcipere lege æterna reflexa *per accidens* mendacium, perjurium: quia hocce in caſu lex æterna antecedens non vetat mendacium, nec perjurium. Honeſtum ergo mendacium, ſanctum perjurium, quoniam in data hypotheſi non eſt vetitum a lege æterna antecedenti, ſed juſſum, probatumque a lege æterna reflexa conſequenti. Hoc eſt primum Probabiliſticæ, & Terillianæ doctrinæ portentum. Siquidem lex æterna Dei abſoluta, & antecedens prohibet in omni eventu, & in quocumque caſu mendacium, perjurium, adulterium, ut S. Auguſtinus *lib. contr. menduc. cap.* 16. docet. *Nihil aliud judicandum eſt dicere aliqua juſta eſſe mendacia, niſi aliqua juſta eſſe peccata: ac per hoc aliqua juſta eſſe, quæ injuſta ſunt. Quo quid abſurdius dici poteſt? Unde enim eſt peccatum, niſi quia contrarium juſtitiæ eſt? Ea vero, quæ contra legem Dei ſunt, juſta eſſe non poſſunt. Dictum eſt autem Dei: Lex tua veritas. Ac per hoc quod eſt contra veritatem, juſtum eſſe non poteſt. Quis autem dubitet contra veritatem eſſe omne mendacium? Nullum igitur juſtum poteſt eſſe mendacium.*

II. Audiſtis Probabiliſtæ Magnum Parentem Auguſtinum definientem nullum mendacium

dacium eſſe juſtum, nullam actionem cum veritate pugnantem eſſe honeſtam, niſi dicatur, aliqua peccata juſta eſſe. *Aerem*, reponunt cum Terillo, *verberat* S. Auguſtinus, quia *non intellexit MYSTERIUM Probabiliſticum*. O ſtupendam Probabiliſtarum Theologiam univerſæ antiquitati incognitam! Hæc tandem huc devenit, ut ſanctum efficeret peccatum, Deoque placens. *Certum eſt* (inquit Terillus de conſcien. probab. pag. 557.) *actum conformem legi æternæ exiſtenti per accidens eſſe honeſtum, Deo placere, quamvis obiectum, quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per ſe diſponit de rebus*. Apertiſſime igitur Terillus Probabiliſmi reflexi primipilus mendacia, perjuria, admiſſa hypotheſi ignorantiæ invincibilis, immo etiam vincibilis, eſſe honeſta, Deo grata, & meritoria. Principium Terilli iſtud eſt: *Hæ leges* (per ſe, & per accidens) *ſunt contradictoriæ: ergo cum certum ſit ſecundam exiſtere, certum eſt primam non dari*. Certum eſt ſecundam, ideſt reflexam, & per accidens exiſtere? Unde colligis hanc certitudinem? Ex Scriptura? Ex Patribus? Ex Theologis? Ex ſolo tui cerebri Probabiliſmi caligine occupati fonte manavit. Oro, obteſtorque omnes Probabiliſtas, ut vel unicum documentum iſtius certitudinis, ſeu reflexæ æternæ legis producant, & tum retractare volo omnia. Contra ego aſſero, certum eſſe univerſæ Eccleſiæ, & omnium Sapientum conſenſu legem æternam Dei, legem immutabilem eſſe, & perpetuo exiſtere: ergo chimæra eſt lex æterna indirecta excogitata a Terillo.

III. Abſurda, quæ Terillianam doctrinam conſequuntur, tam ſunt manifeſta, quam nova; & abſona eſt ipſa doctrina. Hac admiſſa, nulla lex, ſive naturalis, ſive Divina immutabilis eſt, ſed tot ſunt leges naturales, & Divinæ æternæ, quot ſunt hominum opiniones: quælibet enim probabilis opinio, quæ honeſta judicat mendacia, pollutiones, perjuria naturæ lege vetita, efficit juxta Probabiliſtas, ut lex Indirecta reflexa, ſeu conſequens in Deo exiſtat, præcipiatque præfata peccata, hypotheſi data erroris invincibilis, & juxta Terillum etiam *vincibilis*. Hac lege conſequenti admiſſa, lex antecedens primaria non prohibet dicta peccata. Eadem ergo actio natura ſua mala reſpectu Petri invincibiliter errantis eſt natura ſua bona, quia in hoc caſu nulla lex eam vetat: reſpectu vero Pauli eſt natura ſua mala. Petrus mane opinione probabili reputat uſuram juſtam: ſero altera opinione probabili contraria judicat uſuram injuſtam. Quoniam variatis opinionibus probabilibus, variantur in Deo leges reflexæ conſequentes. Hoc anno actio erit bona, altero anno mala. Ne multa. Lex æterna Dei tot ſubit imagines varias, & contradictorias, quot ſunt hominum oppoſita probabilia interpretamenta. Hæc non tam ſunt abſurda doctrinam Probabiliſtarum conſequentia, quam ipſa doctrina Terilli, & Probabiliſtarum ſane portentoſa. Præterea præfata doctrina admiſſa, nullæ opiniones falſæ, nulli errores occurrunt. Quandoquidem, ut opinio, quæ legis obligationem negat, falſa ſit, exiſtat lex præcipiens oportet. Sed dum opinio probabilis negat legis obligationem, lex iſta ſecundum Probabiliſtas non exiſtit. Lex quippe reflexa per accidens, cui conformatur opinio minus probabilis, abrogat legem primariam mendacium prohibentem, ſeu lex primaria in his caſibus non prohibet mendacium. Ergo opinio minus probabilis negans malitiam mendacij, perjurij, fornicationis non falſa, ſed vera eſt. Quandoquidem in data hypotheſi, nulla datur lex, quæ mendacium vetet: & contra exiſtit lex reflexa, quæ aut conſulit, aut præcipit mendacium. Ejuſmodi enim leges contradictoriæ ſunt, inquit Terillus, Probabiliſmi reflexi Princeps, & Alpha. Certum eſt extare legem reflexam mendacium præcipientem. Ergo certum eſt primam non dari.

§. III.

Novam ſcientiam mediam luget doctiſſimus P. Palancus Minimus invectam eſſe in Probabiliſmi defenſionem.

I. OPinio humana probabilis, poſita doctrina Probabiliſtica, eſt prima, & independens regula. Quod ſic evinco. Opinio minus probabilis directa judicat objectum, quod proponit amplectendum, non eſſe conforme legi æternæ primariæ. Hæc prima propoſitio Terilli eſt inquientis. *Certum eſt actum conformem legi æternæ exiſtenti per accidens eſſe honeſtum, Deoque placere*: (ut mendacium, perjurium, adulterium) *quamvis obiectum, quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per ſe diſponit de rebus*. Hoc eſt primum principium penes Probabiliſtas reflexiſtas. Sed opinio minus probabilis, quæ eſt regula obiectiva operationis humanæ, præcedit legem æternam reflexam, ſeu *per accidens* in Deo exiſtentem,

tem, eamque determinat. Ergo opinio humana eſt prima regula operationis moralis. Siquidem lex Divina reflexa nihil prorſus diſponit de rebus, niſi ex ſuppoſitione erroris invincibilis, aut vincibilis juxta Terillum, ſeu opinionis minus probabilis: ergo opinio minus probabilis antecedit legem reflexam in Deo exiſtentem. Ex altera parte, hæc opinio minus probabilis non conformatur legi æternæ primariæ. Ergo eſt prima regula operationis moralis honeſtæ. Si plura hac de re cupis, conſule *tom.* 2. *Appar. ad Theolog. Chriſt. pag.* 567. , *& ſeq.*

II. Heinc non minus pietate, quam ſapientia celebris P. Palancus Ordinis Minimorum ſplendor, & ornamentum *tom. de conſcien. qu.* 28. *art.* 3. *nu.* 145. *pag.* 292. deplorat calamitatem novæ *ſcientiæ mediæ* excogitatæ ad præſervandum ruinoſum Probabiliſmum. Hæc ſunt illius verba. „ Sed „ hæc ſolutio licet ad mentem Reflexiſta„ rum genuina ipſaque doctrina eorum, qui „ ad talem legem reflexam effugium fece„ runt, falſa tamen eſt, & contra D. Tho„ mam, omneſque ejus Diſcipulos. Quos „ omnes *enixe deprecor* advertant per Pro„ babiliſmum, & potiſſimum per hanc legem „ reflexam *Novam ſcientiam mediam*, *no„ vumque uſum illius* in ſcholis introduci „ paulatim, vel quod eſt conſiderabilius in „ moribus regendis, & vita Chriſtiana gu„ bernanda, qui veluti fideliſſimi Angelici „ Doctoris Aſſeclæ pro nobili ſtemate ab „ ipſo acceperunt *primatum Dei in omni li„ nea perfectionem dicente contra Modernos „ propugnare, & ſemper vincere: ſicut in „ Theologia ſpeculativa primatum Dei ra„ tione cauſæ motoris Domini, libereque de„ terminantis fruentur: ſic in Theologia Mo„ rali, & practica primatum Divinæ legis „ in regulando mores humanos, nulli præ „ ipſis æquali jure propugnandum incum„ bit*.

III. R. P. Carolus Caſnedi *tom.* 2. *Diſp.* 15. *ſec.* 4. *pag.* 427. excandeſcit in P. Palancum inquiens: *Miratus ſum quomodo Palanco ſive ex Vatiniano in ſcientiam Mediam odio, ſive ex ingenioſo aliquid peregrinum proferendi pruritu Scientiam Mediam in Theatrum inducat*. Non ex Vatiniano odio, ſed Evangelico zelo P. Palancus accenditur in ſcientiæ mediæ novam doctrinam invectam a Molina contra SS. Auguſtinum, & Thomam.

IV. R. P. Claudius La Croix aliter, ac ſuus Socius Caſnedi ſentit de celeberrimo Palanco, & probat *ſcientia media* indigere Probabiliſmum, ne penitus ruat. Sic enim *lib.* 1. *n.* 334. ſcribit. „ Unde ſicuti perfe„ ctioni primæ cauſæ non derogatur per hoc, „ quod Deus attemperet ſuam omnipoten„ tiam per decretum *indifferens* ſecundum „ principia *Scientiæ Mediæ*: ita nec dero„ gatur *primæ Regulæ Morali objectivæ*, „ quod *ſimili fere modo* legem ſuam ſecun„ dariam *attemperet errori invincibili*, *ut „ notavit Palancus*. " Sed id notavit Palancus ut improbaret, & execraretur.

V. Scientia hæc Media *Probabiliſtica* mirabilior eſt Scientia Media *Moliniſtica*. Quandoquidem ſcientia Media *Moliniſtica* excogitata fuit ad conciliandam libertatem creatam cum Divinæ gratiæ efficacitate. Scientia Media *Probabiliſtica* inventa eſt, ut mendacia, perjuria, adulteria conformentur cum æterna Dei lege. *Scientia Media Moliniſtica* attemperat omnipotentiam Divinam indifferentiæ libertatis creatæ. *Scientia Media Probabiliſtica* attemperat legem æternam conſequentem reflexam errori invincibili, mendaciis, & perjuriis. *Scientia Media Moliniſtica* prævidet quid operaturus erit Petrus in tali ſerie circumſtantiarum collocatus, & auxilio verſatili munitus. *Scientia Media Probabiliſtica* prævidet Petri mendacia, perjuria, furta ignorantia invincibili tecta, & tum accommodat legem æternam, cui hæc ſcelera conformentur, & meritoria, æternoque præmio digna evadant. *Lex tua veritas*, ſed arbitro Probabiliſmo *veritas attemperatur errori*, & ſimul connubia ineunt: *& error inculpatus coæquat veritatem*, inquit R. P. Caſnedi.

VI. Evangelica ne doctrina hæc, ſeu ſimplex, & perſpicua, quæ in tot reflexionum, diſtinctionum, & latebrarum obſcuriſſimum antrum ſe recipit? Recte dixit R. P. Terillus Probabiliſmum eſſe *Myſterium* humano cerebro fabricatum. Subdit *loc. cit.* R. P. La-Croix de lege conſequente reflexa. *Quamvis ut hanc, vel illam operationem dirigat, PRÆSUPPONAT, & ſuo modo quaſi ſe accommodet errori invincibili, aut opinioni probabili, reſpectu cujus, ideo dicitur eſſe jam dicto modo conſequens*. Habemus confitentem Probabiliſtam. Lex æterna reflexa *præſupponit* opinionem minus probabilem, cui ſe accommodat. Immo ideo hæc lex æterna reflexa appellatur *conſequens*, quia conſequitur opinionem minus probabilem, & errorem invincibilem. Ergo opinio probabilis eſt prima regula, quatenus practice dirigit operationem Moralem. Si plura

ra cupis, conſule *cit. tom. Apparat. ad Theol. Chriſt. pag.* 567., *& ſeqq.*

§. IV.

Syſtema Probabiliſticum in morum controverſiis probabiliter controverſis recidit vi evidentis ratiocinii in Syſtema Hobbeſij, & Spinozæ: nempe quod bonum, & malum non inſint rebus, ſed ſint humanæ mentis figmenta.

I. DOgma catholicum eſt res eſſe ſeipſis honeſtas, vel turpes ante quamcumque hominum opinionem. Omnia quippe a ſupremo artifice producta ſunt, juxta ordinem, & conformitatem ad ſuam Divinam eſſentiam, & rationem. Quæ huic ordini ſubjacent, honeſta; quæ ab hoc ordine recedunt, turpia ſunt natura ſua. Hanc veritatem vel ipſe Ethnicus Cicero *lib.* 1. *de leg.* optime explicat. „ Communis intelligentia „ nobis notas res effecit, eaque in animis „ noſtris inchoavit, ut honeſta in virtute „ ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in „ opinione exiſtimare, non in natura poſi„ ta, *vere dementis eſt*.... Ipſum enim bo„ num *non eſt in opinionibus*, *ſed in natu„ ra. Nam ni ita eſſet, beati quoque opi„ nione eſſent. Quo quid dici poteſt ſtul„ tius?* ..... Sed perturbat nos opinionum „ varietas, hominumque diſſenſio .... Sen„ ſus noſtros, non parens, non nutrix, non „ magiſter, non Poeta, non ſcena depra„ vat, non multitudinis conſenſus abducit „ a vero: Animis noſtris tenduntur inſidiæ, „ vel ab iis, quos modo enumeravi, qui „ teneros, & rudes, cum acceperunt, infi„ ciunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea, „ quæ penitus in omni ſenſu implicata in„ ſidet imitatrix boni voluptas, malorum „ autem mater omnium: cujus blanditiis „ corrupti, quæ natura ſua bona ſunt, *quia „ dulcedine hac, & ſcabie carent, non cer„ nimus ſatis.* " Dulcedo probabiliſtica obſcurat mentem, ne ſatis cernamus, quæ natura ſua mala, aut honeſta ſunt. Sed ad rem.

II. Hobbeſius, & Spinoza docent bonum, & malum non ineſſe rebus, ſed eſſe humanæ mentis commenta. Probabiliſtæ defendunt mendacia, perjuria, directa opinione minus probabili, & ignorantia invincibili, & repræſentata ut honeſta evadere reipſa bona, & vitæ æternæ præmio digna. Cedo. Mendacia, perjuria ſunt ne natura ſua bona? Errorem propugnarent, ſi aſſererent. Per Probabiliſtas in data hypotheſi evadunt bona, & meritoria. Ergo hæc bonitas eſt purum, putumque rationis humanæ figmentum. Nec reponant bonum *per ſe* ineſſe rebus, ſecus bonum *per accidens*. Sic enim nomine Probabiliſtarum reſpondet *lib.* 1. *n.* 24. R. P. Claudius La Croix. *Abſurdum eſt dicere, quod voluntas mentiendi poſſit per ſe loquendo a Deo exigere præmium, concedo. Per accidens, ſi mendacium invincibiliter repræſentetur ut bonum, & obligatorium, nego*. Non inquam hæc reponant, quia non evitant abſurdum. Nam in ipſo paragraphi titulo indicatum eſt, ſermonem eſſe non de bono, & malo *per ſe*, ſed de bono, & malo *per accidens*. Mendacia ergo juxta Probabiliſtas, perjuria, adulteria, furta, vi ignorantiæ invincibilis, ſeu *per accidens* evadunt bona, & præmii æterni meritoria. Ergo in hac hypotheſi bonitas iſta, & meritum ſunt mera humanæ rationis figmenta. Alterutrum ergo concedant oportet. Aut recenſita crimina natura ſua bona eſſe: & hæc eſt hæreſis manifeſta: aut eorumdem bonitatem eſſe *ens rationis*, ſeu ſpectrum humanæ mentis.

III. Præterea, qua vi, qua gratia fit hæc portentoſa Metamorphoſis, ut præfata ſcelera in virtutes, & meritum vitæ æternæ tranſeant? Divina gratia? Abſit. Divina gratia ne in ſcelera influit? Qua ergo virtute? Audi, & obſtupeſce. Vi ignorantiæ invincibilis, & juxta Terillum vincibilis. Ergo error invincibilis alter Deus eſt, Manichæorum Deo monſtroſior, qui valet mendacia, perjuria, idololatriam, & alia crimina, quæ ignorari invincibiliter poſſunt juxta Probabiliſtas, in virtutes tranſmutare vita æterna dignas. Dicturi ne ſunt, poſita ignorantia invincibili, Deum conferre gratiam ad mentiendum, ad pejerandum, ad furandum? Quid eſt gratia divina? Eſt lumen mentis, & affectus, ſeu amor cordis. Lumen mentem dirigit, & amor voluntatem accendit. Gratiæ iſtæ duæ connexæ ſunt. Si Deus ſuam gratiam infunderet, intellectum illuminaret, ut cognoſceret malitiam furti, mendacii, pollutionis, perjurii: & ſimul voluntatem moveret, ut talia crimina evitaret. Numquid Deus ſua gratia influit in furta, in mendacia, in perjuria, ignorantia invincibili propoſita, ut honeſta? Per errorem mentis, per mendacia, per perjuria Deus ſua gratia ad Paradiſum animas perducit? Nos dicimus ignorantiam invincibilem excuſare a culpa. Contra Probabiliſtæ docent, mendacia, & perjuria, & cætera fla-

flagitia, quorum haberi poſſit ignorantia invincibilis, virtutes eſſe, & meritoria vitæ æternæ. Quæ ſane doctrina eſt germanus fructus Probabiliſmi, & abſurdis pleniſſima.

§. V.

Recenſitum ſyſtema de operibus pravis, & meritoriis ſub ignorantia invincibili recidit in tertiam propoſitionem damnatam Janſenii.

I. REvocanda ſub oculos eſt doctrina Probabiliſtica. Mendacium, inquiunt, ſub ignorantia invincibili propoſitum, ut licitum, evadit bonum, & præmio vitæ æternæ dignum. Ignorantia invincibilis aufert libertatem indifferentiæ, ut omnes Catholici fatentur. Ergo opus iſtud ſub ignorantia invincibili elicitum non poteſt eſſe meritorium. Alioquin ad merendum, & demerendum non eſſet neceſſaria libertas indifferentiæ. Et hæc eſt propoſitio tertia damnata in Janſenio: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate &c.* Hoc argumentum adeo decretorium eſt, ut in univerſo Probabiliſmi armamentario nulla, vel veriſimilis reſponſio occurrat.

II. Et tamen tu *Cl. Carpane* hæc ſcribere *pag.* 130. audes. *Reſp. Mihi videri prorſus inveriſimile, quod vir Theologus, ac Thomiſta opponat, quod opponere pudori eſſet cuilibet vix leviter aſperſo Angelici doctrina*. Cum nihil habeas, quod reponas, tanto ſtrepitu detonas. Quid tibi cum S. Thoma commercii? Duo teſtimonia ejuſdem affers, quæ non minus cum noſtra diſputatione pugnant, quam lux cum tenebris. Ideo iis miſſis, reſponſum tuum tranſcribo integrum, quod perhibes *pag.* 131. „ Diſtinguenda eſt igitur ſecunda propoſitio. „ Sub ignorantia invincibili non datur libertas indifferentiæ, ſub ignorantia invincibili *pravæ diſpoſitionis* includente poſitivum errorem, *nego*: ſub ignorantia invincibili *puræ privationis ſcientiæ*, ſubdiſtinguo: non datur libertas indifferentiæ quantum ad id, quod ſic ignoratur, *concedo*; quantum ad id quod non ſic ignoratur, *nego*. Sub ignorantia itaque „ pravæ diſpoſitionis, non eſt cur non detur libertas indifferentiæ. Nam id, quod „ ita ignoratur, erronee quidem proponitur „ intellectui, vel tamquam bonum, cum „ in ſe *revera* malum ſit, vel tanquam malum, cum *revera* in ſe ſit bonum: ſed „ *revera* intellectui proponitur per cognitionem: unde non deeſt libertas ex defectu „ cognitionis, ex quo etiam fit, quod ſi „ voluntas illud eligat, id, quod ita eligitur, *accipiat per accidens vel rationem boni, ſi in ſe malum eſt, vel rationem mali, ſi in ſe eſt bonum*. Sub ignorantia „ vero meræ privationis ſcientiæ non datur „ libertas indifferentiæ, quantum ad id, „ quod tali modo ignoratur, quia nihil volitum, quin præcognitum: poteſt tamen „ in eodem actu aliquod ignorari, & aliquid ſciri, atque adeo poni libere ſub „ una ratione, & non ſub alia. Sic E. G. „ Si quis ſciat præcepto Decalogi prohibitum eſſe furtum, invincibiliter autem neſciat furtum rei ſacræ eſſe ſacrilegium, „ furando rem ſacram ponit libere talem „ actionem furandi, ut furtum eſt, & peccat peccato furti, non vero illum ponit „ libere, ut ſacrilegium eſt, & non peccat „ peccato ſacrilegii. "

III. Integrum tranſcribere, licet non ſine gravi tædio, reſponſum volui, ut Lectores ipſi videant, quæ audere valeant Probabiliſtæ, & legant tuam battologiam verborum, quæ non plus ſignificant, quam *berlik*, & *berlok*. Quorſum pertinet obiectum partim ignoratum, partim ſcitum: furtum, & ſacrilegium! De hoc ne diſputatur? Et tu ſtudiorum Præfectus rei ſcholaſticæ peritiam oſtentas? Sermo nunc eſt de mendacio, cujus penitus malitia invincibiliter ignoratur. Quid ergo comminiſceris aliquid ſcitum, aliquid ignoratum! Ut verborum involucro de more fucum facias aurito gregi.

IV. Sed tua præcipua diſtinctio ſub examen veniat. Duplicem ergo ignorantiam invincibilem diſtinguis. Alteram *pravæ diſpoſitionis*: Alteram *privationis ſcientiæ*. Hanc auferre, non illam libertatem aſſeris. Unde quæſo eruiſti hoc duplicis invincibilis ignorantiæ genus? Ex fodina Probabiliſtica? Siccine ergo eludis propoſitionem ſecundam Alexandri VIII. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali*. Diſtinguis ignorantia invincibilis pravæ diſpoſitionis, *nego*: Ignorantia invincibilis privationis ſcientiæ, *concedo*. Ignorantia, quæ eſt pravæ diſpoſitionis partus, non invincibilis, ſed vincibilis a Theologis appellatur. Sed ad id, quod

Digitized by Google

caput eſt, accedamus. Qui ſunt ergo prave diſpoſiti, & ignorantia invincibili hujus pravæ diſpoſitionis obcœcati, dum mentiuntur, dum pejerant, operantur opus bonum, & vitæ æternæ meritorium? Pravitas ergo; & iniquitas ex inferno in Paradiſum evolant? Tam abſurda paradoxa publicis typis evulgare audet ſtudiorum Præfectus? Et dum nos contra tam portentoſa commenta vocem extollimus, ut obtuſas imperitorum aures excitemus, & ne decipiantur, tum Probabiliſtæ clamitant, nos *furere*, & *convicia jaculari*? Sed ego repono: evincant ipſi prius hæc non eſſe paradoxa inaudita, & tum illis herbam porrigemus. Quamlibet ignorantiam invincibilem auferre libertatem moralem in eo, qui ex ipſa operatur, atque adeo impedire meritum, vel demeritum docent. Heinc ego infero, Probabiliſtas docentes mendacium ex ignorantia invincibili reputatum licitum eſſe meritorium præmii vitæ æternæ, incidere in tertiam propoſitionem Janſenianam. Tu *Cl. Carpane*, ut Probabiliſtas tuos, Terillum, La Croiſium, Caſnedum excuſes, in aliud pejus abſurdum, ut mea minima præfert opinio, lapſus es, & feliciores effeciſti homines pravę diſpoſitionis, quam homines innocentes carentes talis operationis cognitione. Illos enim prave diſpoſitos ſub ignorantia invincibili mereri præmium vitæ æternæ doces, ſecus iſtos. Quo ſi quid abſurdius dici poſſit, judicent Doctiores.

EPISTOLA TERTIA.

ARGUMENTUM.

Probabiliſmus damnatus oſtenditur in potiſſimis Chriſtianæ Theologiæ controverſiis.

QUoniam Tu, *Cl. Carpane*, doces abſque hæſitationis umbra *Univerſam Eccleſiam* ſuffragari Probabiliſmo, ut infra patebit, operæ pretium exiſtimavi *quinque propoſitiones*, quas de Probabiliſmo damnavit Romana Sedes, exponere, ut hinc Lectores inferant, quanta ſit nonnullis Probabiliſtis fides adhibenda, dum pro tuenda opinione minus probabili comparata ad probabiliorem, nullum non movent lapidem. Priuſquam damnatas theſes refero, paucis expediam quid contra Probabiliſmum pronuntiavit Alexander VII.

§. I.

Alexander VII. *alienum ab Evangelica doctrina declaravit Probabiliſmum.*

I. SUmmus Pontifex Alexander VII. in ſuo celebri Decreto hæc docet: *In rebus ad conſcientiam pertinentibus MODUS OPINANDI irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*. Deſignent, ſi valent, Probabiliſtæ perſpicue, & non verborum iuvolucro alium modum opinandi, qui *irrepſerit* in Chriſtianam Theologiam præter *Probabiliſmum*. Nam uſque ad ortum tenebroſum Probabiliſmi ſemper prævaluit hoc principium, quod in rebus incertis & controverſis id, quod veriſimilius vel tutius apparet, amplectendum ſit. Univerſa Eccleſia Gallicana anno 1700. damnato Probabiliſmo allegavit hanc Alexandri VII. auctoritatem. *Modus opinandi irrepſit* &c. hoc pacto interpretatur: *Præmittenda putamus verba Felic. Memor. Alexandri Papæ VII. quibus non modo errores increviſſe queritur, verum etiam quod caput eſt, adnotari voluit ipſam REI TRACTANDÆ RATIONEM eam introductam eſſe, unde videremus corruptelam morum, non modo ſecuturam, verum etiam, facto velut impetu, irrupturam, quam vix cohibere poſſimus*. Planum itaque eſt atque compertiſſimum, Alexandrum VII. Summum Pontificem declaraſſe, & vellicaſſe Probabiliſmum, ceu alienum ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina. Verba agglomerarunt Probabiliſtæ, ut hinc eluctarentur, ſed fruſtra. Nullum enim alium *Opinandi modum*, qui irrepſerit in Chriſtianam Theologiam, præter *Probabiliſmum* perhibere potuerunt, nec æternum deſignabunt.

II. PARADOXON inauditum, quod tu Cl. Carpane in tuo Opuſculo pag. 154. evulgaſti, reſcribitur. Inquis enim. *Reſp. potiori jure dici poſſe, modum opinandi, quem reprobat Summus Pontifex, eſſe Modum*

dum opinandi PROBABILIORISTARUM. Audeo quærere abs te, num fide bona hæc ſcripſeris? Ita ſentire me decet. An ignoras repetita Decreta, quibus Ven. Summus Pontifex Innocentius XI. conatus eſt in tuam Societatem doctrinam probabiliorem introducere? Alexander VII. reprobavit doctrinam probabiliorem? An non tremuit tibi manus, dum hæc ſcripſiſti? Et Tu improperare nobis audes cum tuis Probabiliſtis, quod tam prodigioſa paradoxa deridenda, atque exſibilanda propinamus? Et qua alia ratione talia refellenda ſunt? Probabiliſtarum nemo, quod ego ſciam, tam lepidum commentum excogitavit. Tu utpote ſtudiorum in Collegio Romano Præfectus novi aliquid tua eruditione dignum invehere gloriæ tuæ duxiſti. Colligat heinc Reſpublica Litteraria nihil eſſe tam evidens, nihil tam certum, nihil tam luculentum, quod aut negare, aut obſcurare Probabiliſtæ aliqui non audeant intrepide.

§. II.

Innocentius XI. hanc theſim damnavit n. 3.

„ Generatim dum probabilitate, ſive in-
„ trinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis
„ tenui, MODO a probabilitatis finibus
„ non exeatur, confiſi aliquid agimus,
„ ſemper prudenter agimus. “

I. PRobabiliſtæ ſuis principiis nixi hanc theſim docuere, tanquam plantæ Probabiliſticæ legitimum fructum. Inter ceteros illam propugnat Doctor Claſſicus R. P. Thomas Tamburinus *lib.* 3. *in Decal. cap.* 3. §. 2. *num.* 3. inquiens: *Dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus*, SEMPER *prudenter agimus*.

II. Excuſatores Tamburini ajunt, deeſſe in theſi Tamburini particulam *generatim*. Sed hæ nugæ ſunt: Nam adeſt particula *ſemper*, quæ includit particulam *generatim*. Subdunt alii damnatam theſim eſſe ob duas particulas *generatim* & *ſemper*, quia nec in Tribunalibus, nec in Sacramentis adhiberi opinio minus probabilis poteſt. Sed hæc reſponſio ſeipſa corruit; quoniam Decretum Pontificium ſeorſim damnat uſum opinionis minus probabilis tum in judicibus, tum in ſacramentis, tum in rebus fidei.

III. *Tenuis probabilitas*, inquiunt alii, non eſt vera probabilitas. Sed hanc cavillationem rejicit ipſa damnata theſis, in qua habetur: *Modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Ergo evidens eſt uſum veræ probabilitatis practicæ damnatum a Romana Sede eſſe. Ergo principium probabiliſticum: *Quiſquis probabiliter operatur, prudenter operatur*, confixum jacet in hac 3. theſi. Siquidem vera occurrit probabilitas, quam qui ſequitur prudenter non operatur. Ergo falſum eſt principium probabiliſticum: *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur*. Antecedens patet. Nam probabilitas damnata in citata theſi eſt vera probabilitas; *Modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Ergo evidens eſt, veram probabilitatem in ſenſu adverſariorum eſſe proſcriptam.

IV. Probabiliſtis nunquam deſunt effugia. Reponunt alii, in hac theſi damnatum eſſe uſum opinionis *probabiliter* tantum *probabilis*. Ergo damnata eſt doctrina *Vaſquez*, *Salas*, *Sanchez*, *Tamburini*, *Merola*, *Claudii La-Croixii*, aliorumque, qui defendunt licitum eſſe ſequi. opinionem *probabiliter probabilem*. Quis hoc aſſerit? P. Thomas Tamburinus *loc. cit. n.* 7. his verbis. „ Dubitabis ſecundo, ut valeat quis firmare „ opinionem probabilem, an debeat ipſi „ conſtare *evidenter* talem opinionem eſſe „ probabilem, an ſufficiat conſtare *probabiliter*? . . . . Abſolute puto cum Salas, „ Sanchez, Merola apud Bardi, quibus ad- „ de Vaſquez diſp. 18. *Satis eſſe in omnibus caſibus conſtare probabiliter opinionem* „ *eſſe probabilem*. “ P. Claudius La Croix *lib.* 1. *n.* 368. inquirit: *Utrum licitum ſit ſequi ſententiam, quæ probabiliter eſt tantum probabilis?* Et reſpondet. *Hæc ſententia eſt probabilis*, & pro eadem allegat ultra *Vaſquez*, *Sanchez*, *Salas*, *Merola*, etiam *Illſung*, *Banholtz*, *Ardeskin*. Iſti autem ſunt Doctores Claſſici, & Probabiliſmi lumina prima. Et tamen iſtorum doctrina damnata eſt juxta P. Segneri, Terillum, & alios.

V. Confirmatur. Juxta ſyſtema Probabiliſticum, qui probabiliter operatur prudenter operatur. Ergo qui operatur juxta opinionem probabiliter probabilem, prudenter operatur. Probo conſequentiam. Dum judico probabile eſſe operationem meam eſſe licitam, prudenter operor. Ergo dum probabiliter judico hoc eſſe probabile, prudenter me gero. Siquidem, qua ratione probabilitas directa reddit, juxta Probabiliſtas, honeſtam operationem, eadem ratione probabilitas reflexa reddit probabilitatem directam regulam rectæ conſcientiæ ex principiis Probabiliſmi.

 VI.

VI. Tandem æque opinio certo probabilis ac opinio probabiliter probabilis gradum habere poteſt *tenuis probabilitatis*. Quis negaverit opiniones certo probabiles, alias eſſe majoris, alias minoris, alias tenuis probabilitatis? Ex quibus has tres colligo propoſitiones. *Licet uti opinione minus probabili, modo vere & practice ſit probabilis*. Hæc prima propoſitio ſedem occupat primi principii apud Probabiliſtas. Altera. *Datur vera & practica probabilitas, quæ damnata ab Eccleſia eſt*. Siquidem probabilitas *tenuis* vera & practica probabilitas eſt, non profligata, non depreſſa ab oppoſita probabilitate. Hæc vera, & practica probabilitas. damnata ab Eccleſia eſt. Ergo abſolute Probabiliſmus damnatus eſt, cum deſignari nequeat vera & practica probabilitas damnata, niſi comprehendatur Probabiliſmus. Perhibeant nobis Probabiliſtæ præciſum gradum veræ, & practicæ probabilitatis damnatæ abſque fucis, & effugiis. Nam probabilitas *tenuis* eſt vera, & practica probabilitas, ut ex citata theſi conſtat. Hæc vera probabilitas proſcripta iiſdem omnino principiis regitur, ac Probabiliſmus abſolute acceptus. Ergo damnatus & iſte eſt. Uſquedum Probabiliſtæ perſpicue gradum probabilitatis damnatæ non deſignent, legitime inferimus damnatum Probabiliſmum. Quoniam ſcimus veram & practicam probabilitatem eſſe ab Eccleſia damnatam: & cum hanc diſtinguere ignoremus, quamlibet minorem probabilitatem in conſpectu majoris probabilitatis damnatam aſſerimus.

VII. Sed reſponſum tandem tuum *Cl. Carpane* tranſcribamus. Sic itaque *pag.* 138. inquis. *Reſp. in allata propoſitione nomine tenuis probabilitatis intelligi probabilitatem innixam auctoritati unius, vel alterius Auctoris junioris, & inexperti*. Hæc eſt apertiſſima falſitas: quia opinio unius, vel alterius Auctoris damnata eſt alia peculiari theſi ab Alexandro VII. n. 27. ut infra patebit. Deinde eſt ne junior inexpertus Doctor *Tamburinus*, qui damnatam theſim docet, non ſolus, ſed plures Doctores allegat pro eadem? Vi ergo tui reſponſi falſi damnatus eſt tuus Probabiliſmus. Subdis ibi continuo: *Vel innixam ratiunculis leviſſimis, & ad ſummum apparenter gravibus extra conflictum rationum in oppoſitum*. Hæc ſecunda reſponſio æque falſa eſt ac præcedens, ut patet ex damnata theſi: *Modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Auctores damnatæ theſis veram exigunt probabilitatem, ſed tenuem, quia in opinionibus dantur gradus majoris & minoris probabilitatis. Neque heinc effugis addendo: *intra fines qualiſcumque probabilitatis*, quia theſis abſolute loquitur de vera probabilitate, dum aſſerit *modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Non ergo de probabilitate apparenti, ut tu contendis, ſed de probabilitate vera ſermo eſt. Alias fruſtranea eſſet illa particula. In theſi damnata prius ſermo eſt de probabilitate *tenui*: ne vero Lectores intelligerent quamcumque apparentem & fucatam probabilitatem, ut tu aſſeris, additum eſt: *Modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Conſule tuum Tamburinum, & intelliges verum eſſe quod dico. Non ergo Probabiliſmus tuus *eſt extra teli jactum*, ut ſomnias, ſed undique verſum profligatus quaſſatuſque eſt.

§. III.

Probabiliſmus vi juſti ratiocinii damnatus in hac 2. theſi Innocentii XI. „ Probabiliter „ exiſtimo judicem poſſe judicare juxta „ opinionem etiam minus probabilem. "

I. Ante infelicem Probabiliſmi abortum, Theologorum nemo damnatam theſim docuit. Orto Probabiliſmo communis evaſit inter Probabilitas, ut *tract.* 29. *cap.* 1. *punc.* 4. docent Salmanticenſes. *Hanc ſententiam plurimi antiquitus amplexati ſunt, nimirum fere OMNES, qui opiniones probabiles in conſpectu probabilioris tutas ſentiunt, & multorum judicio ſatis conſequenter*. P. Diana non modo damnatam ſententiam, ut Claſſicus Doctor defendit, ſed præterea addit, judicem eligere inter duas opiniones probabiles illam poſſe, quę magis amico favet. En *tom.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 20. illius verba. *Infertur contra Bannes integrum eſſe judici ex duabus opinionibus probabilibus, quam maluerit, eligere, & ſecundum eam judicare PRO AMICO. Immo ceſſante ſcandalo, modo ſecundum unam, modo ſecundum aliam, quod ego ſentio ut dictum eſt, etiam ſi contraria ſit probabilior*. En quam verum ſit Probabiliſtas nihili facere veritatem, cum contradictorias ſententias in ipſo tribunali amplectendas doceant, quarum una falſa ſit, oportet. Prolixum pro hac ſententia Theologorum elenchum *Reſ.* 22. texit, ſuntque ſequentes, *Rua, Martinez, Alvarez, Merola, Delrius, Franciſcus Lugo, Caſpenſis, Fagundez a S. Joſeph, Dicaſtillus, Texeda, Hurtadus, Poſſentius, Leſſius, Martinus a S. Joſeph, Hatquedus, Sacu-*

he-

nelius, *Eſcobarius*, *Cutelius Cornejo*, *Serra*, *Gaſpar Hurtadus*, *Machadus*, *Guazzinus*, *Laurea*, *Paſqualigus*, *Medina*, *Salas*, *qui notat communem eſſe Theologorum*.

II. Theologi Probabiliſtę qui ſcripſerunt ante Innocentium XI. communiter, ut teſtantur *Salmanticenſes*, *Salas*, *Diana*, damnatam theſim defendebant. Hac prima propoſitio certiſſima eſt teſtimonio Probabiliſtarum. Iſti Probabiliſtæ non aliis principiis defendebant theſim damnatam, niſi principiis, & rationibus, quibus regitur & ſuſtinetur Probabiliſmus. Provoco omnes Probabiliſtas, qui poſt Innocentium XI. ſcripſere, ut revolvant cunctos libros anteriorum Probabiliſtarum. Si vel unicam rationem in ipſis repererint pro Theſi damnata, quę eruta non ſit ex principiis Probabiliſmi, pro infecta hanc argumentationem habere volo. Ergo teſtibus ipſis Probabiliſtis Diana, Salas, Salmanticenſibus, eo modo Probabiliſtę communiter judicabant licitam theſim damnatam de judice judicante ſecundum minus probabilem opinionem, quo judicabant licitum probabiliſmum in ceteris materiis. Prima ſententia de judice judicante ſecundum minus probabilem opinionem judicio Eccleſiæ falſa, temeraria, & ſcandali plena eſt. Ego eiſdem cenſuris obnoxius eſt potiori jure Probabiliſmus in quacumque materia.

§. IV.

Diſcrimina, qua Probabiliſtæ poſt Innocentium XI. aſſignant inter judicem fori Civilis, & Sacri commentitia, & chimærica.

I. PRincipium univerſale Probabiliſticum eſt iſtud, qui probabiliter operatur, prudenter operatur. Opinio vere probabilis impedit, quominus lex ſit ſufficienter promulgata. Prudentis eſt ſectari probabilia. Porro hæc principia aut nullibi, aut ubique tenent, & concludunt: ergo, aut nemo poteſt operari ſecundum opinionem minus probabilem, aut valet etiam judex, ut faſſi ſunt communiter Probabiliſtę ante theſim damnatam, ut vel Terillus de leg. mor. q. 20. n. 5. teſtatur inquiens, olim fuiſſe probabilem *ob multitudinem Auctorum eam affirmantium*.

II. Mirifica ſunt Probabiliſtarum reſponſa, ut damnationi ſubtrahant ſuum amatum Probabiliſmum. Dicunt opinionem minus probabilem in Tribunali eſſe *ſpeculative*, ſecus *practice* probabilem. Et cur? Quia probabilitas *practica* ſpectat licitum, aut illicitum: probabilitas *ſpeculativa* jura & leges reſpicit. Ergo iudex dum profert ſententiam ſecundum opinionem probabiliorem judicat, ſecundum opinionem *ſpeculative*, non *practice* probabilem? Futilitatem hujuſce reſponſionis ſentiunt vel ipſi Probabiliſtæ.

III. Reponunt alii, judicem ſuſtinere perſonam publicam, ut cuique jus ſuum reddat. Et Confeſſarii non ſunt perſonæ publicæ? Audi Lector, & obſtupeſce reſponſum, quod Probabiliſtæ cum P. Terillo *de Conſc. Probabil. qu. 24. num. 26. pag. 476.* exhibent. „ Reſp. *Diſparitatem eſſe*, *quia* „ *Confeſſarius format dictamen ſuæ con-* „ *ſcientiæ DEPENDENTER a dictamine* „ *pœnitentis*. Pœnitens enim non peccat, „ nec excuſatur a peccato per judicia Con- „ feſſarii, ſed ſolum per propria judicia. „ Ergo Confeſſarius, qui judicare debet de „ peccato pœnitentis, *reſpicere debet ad* „ *ſententiam*, *quam pœnitens bona fide ſe-* „ *cutus eſt*, quæ etſi directe minus proba- „ bilis, excuſat pœnitentem a peccato, *a-* „ *deoque determinat Confeſſarium* ad dicen- „ dum, quod illa, licet directe minus pro- „ babilis, bona fide eam ſequentem a pec- „ cato liberet. *At judex ſuum judicium* „ *per judicium litigantium non regulat:* „ alioquin in utriuſque favorem deberet „ ſententiam pronuntiare. *Itaque judex* „ *ſuum judicium*, *ſuamque ſententiam ſolum* „ *regulat per ea*, *quæ SIBI*, *non quæ aliis* „ *probabiliora videntur*. Ideoque ſequi de- „ bet quæ ipſe, omnibus penſatis, judicat „ eſſe probabiliora. “

IV. Cum ejuſmodi paradoxa inaudita, & portentoſa appellantur, iraſcuntur Probabiliſtæ. Confeſſarius format ſuum judicium *dependenter a dictamine pœnitentis*? Sententia minus probabilis pœnitentis *determinat Confeſſarium* ad pronuntiandam ſententiam ſuam? Confeſſarius ergo non eſt judex in Tribunali pœnitentiæ? Regula judicii Confeſſarii eſt opinio pœnitentis? Quod Confeſſarius audire pœnitentem debeat, & ſcire, qua fide, qua conſcientia egerit: quod debeat eumdem interrogare, ejuſdem excuſationes audire &c. res eſt extra controverſiam: quemadmodum judex fori exterioris tenetur audire litigantium jura, & rationes; & his auditis, ſecundum leges & jura proferre ſuam ſententiam debet, juxta id, quod probabilius ſecundum jura exiſtimat. Contra Confeſſarius, inquiunt Probabiliſtæ, formare debet ſuum judicium juxta opi-

opinionem pœnitentis. Vel ipſi idiotæ exhorreſcunt ad tantum paradoxon. Aut negant, aut ajunt Probabiliſtæ Confeſſarium eſſe judicem? Si negant, in Lutheranam hæreſim incidunt. Si ajunt; ergo pendere ab opinione pœnitentis nequit. Quis unquam ita deſipuit, ut docuerit judicem in ferenda ſententia pendere a judicio rei, quem ipſe judicat? Si Confeſſarii judicesin formando judicio penderent non a jure divino, non a legibus Eccleſiæ, ſed ab opinionibus pœnitentium, abſolvere deberent omnes uſurarios, ſimoniacos, amaſios, amaſiunculas, quia communiter fide bona fœnerantur, procantur, converſantur, & beneficia negotiantur. Confeſſarius pendet a dictamine pœnitentis in ſua abſolutione danda, aut neganda? Error iſte graviſſimus eſt. Et his fulcris Probabiliſmus ſuſtinetur.

V. Aliud diſcrimen aſſignant Probabiliſtæ, ejuſdem naturæ ac præcedens. Ideo judex nequit opinionem minus probabilem ſequi, quia, inquiunt, ſi hæc falſa ſit, non evitatur malum, quod evenit Cajo litiganti. Contra ſi opinio minus probabilis, quam ſequuntur Theologi, & Confeſſarii, falſa ſit, nullum conſequitur malum. Violatio enim legis tum *materialis* eſt: Et Deus nullum patitur damnum. Ita nomine Probabiliſtarum reſpondet *de Conſc. Probab. qu.* 24. *n.* 53. *pag.* 485. P. Terillus. *Deus eſt incapax omnis damni, & ſolum dehonorari poteſt per offenſam. OMNIS autem offenſa per bonam fidem operantis rationabiliter conſtitutam manifeſte vitatur. Atque homo in caſu objectionis non tenetur judicare in favorem Dei, licet judex teneatur pro parte probabiliore ſententiam ferre.*

VI. Horrorem præfert doctrina hæc. Deus impaſſibilis, immortalis, incapax reipſa eſt omnis damni. Ergo non eſt adhibenda tanta diligentia, ut illius vitentur offenſæ, quantam in rerum temporalium litibus adhibere judex debet? Quid monſtroſius & chriſtianis auribus indignius excogitari poteſt? Non tenetur *homo in caſu objectionis judicare in favorem Dei*? Tenetur ergo ſecundum opinionem minus probabilem judicare in favorem libertatis & concupiſcentiæ contra Deum? Hæc abſurda evomere cogitur Probabiliſmus, dum preſſius obſidetur. Hæccine prudentia probabiliſtica: pluris facere detrimentum temporale, quam æternæ ſalutis jacturam? Minor adhibenda diligentia ut ſciatur, quæ ſit voluntas Dei, quam ut ſciatur, cuinam prædium debeatur? Quid juvat detonare fidelibus: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur; animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*. Si Probabiliſmus novum prudentiæ genus invexit, quo in rebus incertis minorem probabilitatem præfert majori, ut faveat humanis appetitionibus & libertati contra legem?

§. V.

Cl. R. P. Carpani ſtudiorum Præfecti in Collegio Romano reſponſa labefactantur.

I. Inquis ergo Cl. Carpane pag. 142. *Satis eſſe prima rudimenta Logicæ ad detegendam fallaciam hujus argumenti. Nomen itaque judicis in prima propoſitione uſurpatur ad ſignificandum publicum adminiſtrum delegatum ad dirimendas lites: in ſecunda propoſitione minus proprie uſurpatur ad ſignificandum quemlibet privatum hominem, qui ex duobus objectis ſibi propoſitis enuntiet aliquid de uno objecto, quam de alio. Quamobrem argumentum eſt ludicrum ſophiſma conſtans quatuor terminis.*

II. Satis eſt noſſe prima legis Evangelicæ elementa, ut graviſſimus detegatur error in hoc reſponſo contentus. Quo deſperatior eſt cauſa, eo altius vocem extollunt Probabiliſtæ plures, ut fucum faciant imperitis. Et ne Cl. Carpane lamentationem inſtituere ullo modo queas, tuis verbis te urgeo. Scribis ipſe in introductione pag. IV. & V. *Decrevi opuſculum hoc conficere, & in lucem proferre, quo.... Parochi, aliique Sacramentorum Miniſtri poſſint, quod ſui muneris eſt apte conſulere.* Et reipſa omnes morum libri ad inſtructionem Parochorum & Confeſſariorum eduntur. Quibus poſitis ſic te urgeo.

III. Parochi, & Sacramentorum miniſtri an non ſunt in chriſtiana Republica judices publica auctoritate inſtituti ad abſolvendos, vel ligandos chriſtianos pœnitentes, qui ad eorum ſacrum Tribunal accedunt, non ſecus, immo potiori jure ac judices civiles pro rerum temporalium litibus dirimendis? Cur ergo judices prophani in adjudicando prædio Cajo proferre ſententiam probabiliorem debent: & judices ſacri in graviſſimo æternitatis negotio judicare valent ſecundum minus probabilem, an contractus ſit fenebris, ſimoniacus, injuſtus? Hic ſiſte gradum, & præciſum reſponſum præbe. Quid hiſcis? Quid reponis? Inquis *pag.* 141. Judex judicare debet ſecundum probabiliorem, tum attento jure canonico, in quo habetur hæc regula: *Inſpiciendum in obſcuris, quod eſt veroſimilius:* tum attento jure civili, ubi ſic

præ-

Digitized by Google

præſcribitur: *Confirmabitque judex motum animi ſui ex argumentis, quæ & rei aptiora, & vero proximiora eſſe comperit*. Peregregie. Nulla cavillatione eludis hos textus applicatos judicibus laicis. Quæro ergo. Cur judices laici judicare aſtringuntur in obſcuris ſecundum id quod eſt *veriſimilius*, & ſecundum argumenta *vero proximiora*: & judices ſacri ſecundum *minus veriſimile*, & ſecundum argumenta *a veritate remotiora*? Subdis ibidem. *In ſuſceptione enim muneris intervenit contractus implicitus judicis cum Republica, cui judex ſe obligat ad ponderandum æqua lance merita cauſarum, & ad litem adjudicandam illi cui magis jus favet*. Et judices ſacri valent adjudicare illis vitam æternam, quibus jus Divinum minus favet non ne?

IV. *Pactum iſtud implicitum*, quod eſt ultima Probabiliſtarum in naufragio anchora, eſt fructus Divini luminis ſignati ſuper omnium animarum vultum. Sed nunc te *Cl. Carpane* omneſque tuos Probabiliſtas ad incitas; redigo. Reſpublica civilis ſuos eligit judices. Reſpublica Eccleſiaſtica ſuos inſtituit judices, Epiſcopos nempe, Parochos, & Confeſſarios. Unde habetis Beati Probabiliſtæ Rempublicam laicam *pactum implicitum* inire cum judicibus, ut judicent ſecundum *probabiliorem doctrinam*, ſecus vero Rempublicam ſacram? Quodnam fundamentum urget, ut in illa, minime in hac *pactum* iſtud conſtituatur? Reſpublica qua Chriſtiana, qua ſacra minoris ne veritatem, juſtitiamque facit, quam Reſpublica, qua Civilis? Reſponſum nitidum poſco. Primis Eccleſiæ ſeculis Epiſcopi, & Parochi judices eligebantur cauſarum civilium. Idem hodiedum ſæpius evenit. Numquid judices iſti ſedentes in Tribunali civili judicant ſecundum *ſententias probabiliores*: ſedentes vero in Tribunali ſacro judicant ſecundum *minus probabiles*? Numquid litigantem Cajum, quem in Tribunali Civili reſtitutioni obnoxium judicarunt; in ſacro pœnitentiæ Tribunali a reſtitutionis debito abſolvunt? Reſerate nobis Probabiliſtæ acuti prodigioſum enigma iſtud. Si civiles ſocietates eligere judices debent doctiores, peritiores, probioreſque: numquid Reſpublica catholica non aſtringitur eligere ſacros judices ſapientiores, prudentiores, dignioreſque? Nonne lex ipſa divina *Exod. c. 18.* præſcribit: *Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum in quibus ſit VERITAS.* Item *Eccl. c. 7.* minatur Deus: *Væ vobis in æternum, & ultra, quia non eſt in vobis VERITAS*. An omnes corporis veſtri artus non contremiſcunt! an animę veſtrę non expaveſcunt hęc Divina oracula recogitantes? Vos ore aperto & publicis typis inclamatis, in rebus controverſis nihili facere veritatem, veſtra non intereſſe veritatem inquirere: ſed vobis ſufficere probabilitatem, ſive veritatem ſive falſitatem contineat. An adhuc non cognoſcitis *Probabiliſmum* in præfata theſi damnatum, tum in Tribunali civili, tum in Tribunali ſacro? Si in veſtra opinione perſiſtitis, rationem perſpicuam aſſignate, cur damnatus Probabiliſmus ſit in foro civili, ſecus in foro ſacro. Sed moneo vos, ne confugiatis ad illas diſtinctiuncularum cavernas, & vocabulorum & ſubdiſtinctionum, quæ nihil ſignificant, antra: ſed reſponſionem ſignificantem, & omnibus intelligibilem exhibete. Non aliud ſane reponere valetis, niſi negotia temporalia præferenda æternis eſſe, & corpora prævalere animabus, caduca cœleſtibus: & ſeveriori diligentia inveſtigandam veritatem eſſe in lite civili dirimenda, quam juris divini veritatem in decidendis controverſiis, in quibus negotium agitur æternitatis. Aut hæc immania abſurda, & horrenda paradoxa ſorbere, aut fateri *Probabiliſmum* in præfata theſi damnatum etiam in foro ſacro, quin ulla pateat ad effugium latebra, cogimini.

IV. Plura prætereo quæ ibidem *Cl. Carpane* infarcis ſtilo adeo involuto, ut vix percipi queant. Unum & alterum in tranſcurſu indicabo. Repetis pag. 145. & ſeq. *Nulla autem datur lex poſtulans, ut in rebus moralibus incertis opinionem ſequamur probabiliorem pro lege potius quam certo ac practice probabilem, quantumvis in gradu aliquo inferiori pro libertate*. Unde evincis opinionem minus probabilem in conſpectu probabilioris eſſe *certo*, & *practice probabilem*? Hæc eſt principii petitio, quæ, ut tuis verbis utar, *ne logicum quidem elementarium decet*. Opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris nec certo, nec practice probabilis eſt, ſed vana & futilis probabilitas a nobis dicitur. Nulla datur lex? An regula juris hæc non eſt: *Inſpiciendum in obſcuris quod eſt veriſimilius*? Et Probabiliſtæ præeligunt id quod eſt minus veriſimile? An regula juris hæc altera non eſt: *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*? Verum de hoc infra. Cedo. Cur opinio minus probabilis in judice civili non eſt *certo*, *ac practiſe probabilis*: eſt vero in judice ſacro? Quia judex utilis lege obſtringitur ad probiliorem doctrinam, ſecus vero judices ſacri? Hoc eſt chimæricum com-

commentum, ut jam pateſeci. *Certitudo hæc practica* quam paſſim jactas, tota eſt in cerebro Probabiliſtarum, qui res incertas, & obſcuras vi ſuarum reflexionum efficiunt ingenio certas & lucidas. Plura alia prætereo ut vana & inepta.

§. V I.

Probabiliſmus damnatus in adminiſtratione Sacramentorum. „Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem „ probabilem de valore Sacramenti relicta „ tutiore, niſi id vetet &c.

I. PAucis damnationem Probabiliſmi in re ſacramentaria expediam. Damnatio ea reſpicit quę pertinent ad valorem ſacramentorum ſeu materiam & formam. Vox *tutior* & comparative, & adverſative accipitur. Comparative conſideratur, quando oppoſita tuta eſt, cujus reſpectu altera tutior dicitur. *Adverſative* accipitur, quando opinio contraria tuta non eſt. In theſi damnata vox tutior adverſative uſurpatur. Nam tutior ſententia eſt, quæ poſtulat in ſacramento ſuſcipiendo contritionem perfectam: & tamen certum eſt ſufficere contritionem imperfectam caritate initiali formatam, quia ſententia hæc tuta eſt.

II. Contra opinio probabiliſtica de attritione ſervili ex ſolo metu inferni concepta, vi evidentis ratiocinii damnatam demonſtravi *tom. 9. Theol. Chriſt. Diſp. 3.* Nam hæc attritio formidoloſa controverſa inter Theologos eſt, & hodie doctiores Theologi communi aſſenſu illam non ſufficere ad valorem ſacramenti acerrime defendunt. Affirmant vero Probabiliſtæ. Ergo cum res controverſa ſit, tutior pars eſt eligenda.

III. Habes heinc Probabiliſmum abſolute damnatum eſſe in iis, quæ ſpectant valorem ſacramentorum, nempe materiam & formam. Et cum dolor ſupernaturalis ſit materia ſacramenti pœnitentiæ, & res controverſa ſit, num ſufficiat dolor formidoloſus, tutior pars eligenda eſt; nempe contritio initiali caritate formata.

§. VII.

Probabiliſmus damnatus ab Innocentio XI. in ſequenti theſi „ Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili. “

I. HAnc theſim extra articulum mortis defendit R. P. Thomas Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 1. n. 6. pag. mihi* 87. ubi hæc ſcribit: *Dum infidelis ſibi perſuaſum habet, ſuam ſectam eſſe probabilem, quamvis contraria ſit probabilior, tenetur utique in articulo mortis conſtitutus veram fidem, quam probabiliorem judicat, amplecti, utpote qui in eo articulo eſt conſtitutus, in quo de æterna ſalute agitur: ac proinde partem, quam tutiorem, & probabiliorem judicat, amplecti tenetur. AT EXTRA EUM ARTICULUM NON TENETUR, quod adhuc prudenter exiſtimet, ſe poſſe in ſua ſecta perſeverare, tempuſque rei melius examinandæ ſuperſit. Adde myſteria fidei tam ſublimia eſſe, ac chriſtianos mores adeo carnis, & ſanguinis legibus repugnare, ut non quævis major probabilitas ſufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem.*

II. Audiſtin' arcanum probabiliſticum reſeratum? Myſteria chriſtianæ Religionis ſublimia. Evangelica moralis adeo carni & ſanguini infeſta eſt, & inimica, ut *non quævis major probabilitas ſufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem.* Idcirco prædicanda, & ſuadenda eſt *minor probabilitas*, quæ faveat carni & ſanguini, ut ſuave, & concupiſcentiæ accommodatum evadat jugum Chriſti. Idcirco infidelis toto tempore vitæ ſuæ perſeverare poteſt in ſua Secta quam reputat minus probabilem, ut indulgere carni & ſanguini valeat. In articulo tamen mortis tenetur veram fidem *quam probabiliorem judicat, amplecti:* & cur in articulo mortis tenetur amplecti veram fidem? Quia tunc *de æterna ſalute agitur*. Recte, & bene. At numquid toto vitæ tempore non agitur de æterna ſalute? Adhuc ſine intellectu es? Morte inſtante, negotium carnis & ſanguinis peractum eſt. Chriſtiani mores *carnis & ſanguinis legibus repugnantes* tunc executioni non ſunt demandandi. Ideo tunc infidelis, vel hæreticus amplecti obſtringitur catholicam Religionem, quam probabiliorem judicat. Itaque *Probabilioriſmus* in articulo mortis optimus eſt, quia ſavet æternæ ſaluti. Contra *Probabiliſmus* peroptimus eſt tempore vitæ, quia carnis & ſanguinis legibus indulget.

III.

III. R. P. Thomas Sanchez eſt penes Probabiliſtas *Doctor Claſſicus*. Sanchez doctrinam defendunt Moya, Buſembaum, Eſcobarius, & alii Probabiliſtæ. Et etiam iſti ſunt Doctores Claſſici. Heinc argumentantur. Quod docent Doctores Claſſici pii, & docti, eſt probabile. Hanc opinionem docent prælati Doctores: ergo eſt probabilis. Sint pii, ſint probi, ſint docti ejuſmodi Doctores in aliis ſcientiis: in morali tamen Evangelica nullius ſunt auctoritatis, ut infra patebit.

IV. Præfata doctrina R. P. Sanchez viam aperit omnibus ſectis & hæreſibus amplificandis ſaltem toto vitæ tempore. Quænam hæreſis eſt, quæ veritatis fuco delibutam ſe ſe non jactet? Quis eſt qui errorem defendat cognitum ut errorem, ſicuti *lib. 22. contr. Fauſtum cap.* 17. docet S. Auguſtinus? *Numquid eſt hæreſis, quæ non veritatem ſe nominet? Et quanto eſt ſuperbior, tanto magis ſe etiam perfectam nominat veritatem.* O magne Pater Auguſtine! Si tu ætate noſtra ſcriberes, retractare hanc tuam deberes ſententiam. Irrepſit enim in chriſtianam Theologiam novus opinandi modus, cujus defenſores Probabiliſtæ nuncupati plenis buccis, & publicis ſcriptis clamitant, ſe in articulis controverſis veritatem non inquirere, immo nihil referre ſive vera, ſive falſa doctrina ſit, dummodo *minus probabilis* appareat: quia Deus æque præmium errori inculpato impertit, ac ipſi veritati, quando *lex pro non lege, & non lex pro lege habeatur.*

§. VIII.

Damnatus Probabiliſmus eſt ab Alexandro VII. in ſequenti theſi n. 27. „ Si liber „ ſit alicujus junioris, & moderni, debet „ opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe a Sede Apoſtolica „ tanquam improbabilem. “

I. HAnc theſim docet R. P. Thomas Sanchez celebris Probabiliſta *lib.* 1. *in decal. cap. 9. n. 7. pag.* 30. ubi hæc ſcribit. *Opinio probabilis eſt, quæ non levi innititur fundamento. At auctoritas viri docti, & pii non eſt leve fundamentum. Si enim non eſt levis momenti, ſed magni potius, ut aliquid Romæ contigiſſe credamus, id virum pium aſſerere. Cur non MAGNI erit in re morali dubia, quod vir pius, & in ea materia doctus cenſuerit?* Nullum aliud diſcrimen inter hanc P. Sanchez, & theſim damnatam, niſi quod Sanchez addat duo adiectiva *pii, & docti*. Verum hæc damnationi theſim non ſubtrahunt, ut mihi videtur. Quis dixerit pios, & doctos non eſſe *Moyam, Fabrum, Pyrotum, Dianam, Terillum, Sanchez, Eſcobarium, Tamburinum, Leandrum, Samarugam, Caramuelem, Bonacinam &c. &c.?*

II. Eamdem theſim præter propter docet alter famoſus Probabiliſta, R. P. Thomas Tamburinus *lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. n.* 4. & 5. ubi inquirit. *An auctoritas unius doctoris ſufficiat ad probabilem practice, & proxime opinionem conſtituendam? Reſpondeo, tum ſolum ſufficere UNUM tametſi contra INNUMEROS doctores is doceat, quando idem eſt doctus, rem ex profeſſo tractat, firmamque rationem pro ſe habet, nec apparet contra ipſum aliquid convincens. Et quo UNUS iſte contra innumeros Doctores* erit obſtinatior, eo firmiorem habebit rationem. Ex his colligit P. Dominicus Viva in Commentario in præfatam theſim *n.* 7. quæ ſequuntur. *Hinc fit poſſe aliquem conſulere plures viros doctos, DONEC inveniat aliquem, qui ab obligatione V. G. reſtituendi, vel jejunandi illum excuſet, ut docet* Sanchez lib. cap. 9. Palaus, Zumel, *& alii non pauci apud Machado. Ratio eſt, quia unicuique licitum eſt ſuo jure uti, & per licitum & honeſtum medium DEOBLIGARI, quale eſt varios doctores conſulere ad favorabilem opinionem inveniendam.* Addit aliquas limitationes cum Sanchez, ut recta ſit intentio inveſtigandæ veritatis, ſeu opinionis, quæ ſit probabilis, & quod Doctor ſit peritus. Sed inter varias oppoſitaſque Doctorum opiniones una eſt vera. Ita eſt; ſed plures ſunt probabiles. Et quamquam doctrina ſit falſa, dummodo opinio Doctoris ſit probabilis, ſufficit. Idcirco varios conſulere Doctores potes, ut tandem invenias *opinionem favorabilem*, quæ *ab obligatione V. G. reſtituendi, vel jejunandi te excuſet, ut docet Sanchez* &c. Aves rationis momentum? *Quia unicuique licitum eſt ſuo jure uti, & per medium licitum, & honeſtum DEOBLIGARI.* Meditare *Tò Deobligari*, & omnia comprehendiſti. Sed quod dolendum eſt, reipſa ſic ſe gerunt Chriſtiani, & ſi a doctis piiſque Confeſſariis non abſolvuntur, alios adeunt, donec tandem inveniant aliquem ignarum & remiſſum, a quo ſacrilege abſolvantur.

Digitized by Google

§. IX.

Epiſcopi in ſuis Synodis, Ordines Regulares in ſuis Conſtitutionibus exterminant Probabiliſmum.

I. PLures ſunt celebratæ Synodi in Italia, plurima in Gallia, in quibus improbatus eſt Probabiliſmus. Præcipui Ordines Regulares bellum eidem indixerunt in ſuis Conſtitutionibus. Conſule *tom.* 2. *Appar. ad Theolog. Chriſ. lib.* 3. *Diſſ.* 3. ubi plurima documenta & Synodorum, & ſacrorum Ordinum adverſus Probabiliſmum invenies.

II. Damnatus itaque eſt Probabiliſmus in re Sacramentaria, in ſeligenda Religione, in probabilitate tenui, ſed vere probabili, in materia juſtitiæ, in re bellica, in cura ægrotorum, & in omni materia, in qua de damno proximi agitur. Igitur damnatus *Probabiliſmus* eſt in omnibus *ſecundæ Tabulæ* mandatis, e quibus proximi damnum emergere valet. Ad ſola *primæ Tabulæ* mandata coarctatur *benignitas probabiliſtica*. Hæc ſuam ſuavitatem effundit in blaſphemias ex conſuetudine, in perjuria, in cultum ſuperſtitioſum, quem civilem appellitat, in feſtorum profanationes. His vallis, & foſſis circumſcribitur *benignitas probabiliſtica*. Ceterum in re bellica, Sacramentaria, medica, in materia juſtitiæ, in qua agitur de damno proximi, atque adeo in re lubrica & venerea, quæ communiter temporale detrimentum proximi infert, Probabiliſtæ nihil ſpargere dulcedinis valent. Urbe ergo & agro exterminatus Probabiliſmus eſt in controverſiis, in quibus divitiæ, fama, honor, & bona hominum terrena periclitantur: regnat vero & dominatur in iis, quæ Dei honorem, cultum, majeſtatem ſpectant. Cuinam vel Paganorum horrorem non ingerit doctrina hæc, quæ pluris facit pecunias, quam animas; pluris damnum temporaneum, quam ſpirituale; pluris detrimentum proximi in civili lite, quam offenſam Summi Dei in judicio æterno?

III. Quæ cum ita ſe habeant, quid cauſæ eſt, cur tot opiniones laxæ ſcandalique plenæ in omni fere Theologica materia ſerpant? Quæ laxitatum paradoxa non evulgarunt Probabiliſtæ in controverſiis de contractibus, de ſimonia, de uſura, de compenſationibus occultis, de re venerea, de profanatione feſtorum, de ſuperſtitione, & de re Sacramentaria? Quænam tantarum laxitatum infecta ſcaturigo? *Probabiliſmus*. Probabiliſtæ, quia a veritate aberrantes antilogiis ſe ſe conficiunt. Dum capitales theſes Probabiliſticas explicant, limitationes, fucos, cæmenta adjiciunt; cum poſtea ſuos tractatus ſcribunt, nullam abſque Probabiliſmo controverſiam decidunt. Percurre, ſi per otium licet, tractatus de juſtitia, de bello, de duello, de Sacramentis, ceteriſque materiis, & ubique occurret Probabiliſmus. Hæc eſt probabilior; ſed probabilis quoque eſt contraria. Illa eſt tutior; ſed practice probabilis eſt etiam hæc. Utraque probabilis eſt. *Lege Dianam*, *Tamburinum*, *Bonacinam*, *Eſcobar*, *La Croix*, *Caramuelem* &c.

EPI-

EPISTOLA QUARTA.

IN QUA

Principia, ſeu Sophiſmata Probabiliſtarum expenduntur.

§. I.

Opinionis, & Probabilitatis Notio.

I. OMnes ſententiæ Morales aut veræ, aut falſæ ſunt abſolute, & per ſe ſpectatæ: nulla probabilis. Heinc Deo, qui omnes res prout in ſe ſunt, videt, nihil probabile. Si ſententiæ iſtæ cum humano intellectu comparentur, tum dubiæ, aut probabiles evadere poſſunt. Nam ut aliæ ſententiæ ſunt quarum veritas, & aliæ quarum falſitas certo cognoſcitur: ſic aliæ ſunt, quarum nec veritas, nec falſitas certo cognoſcitur, ſed dubiæ ſunt aut probabiles. Quare recte Tertullianus *lib. 2. de Nat.* inquit. *Varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis.*

II. Hanc opinionis notionem 1. *p. q. 79. ar. 9.* perhibet S. Thomas: *opinio ſignificat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Actus opinativus veritatem, non probabilitatem ſpectat. Id conſtat ex finitione data. Intellectus dum opinatur, fert judicium abſolutum ſuper veritate unius propoſitionis cum formidine partis oppoſitæ. Si enim judicium iſtud ſpectaret probabilitatem, non opinativum eſſet & cum formidine oppoſitæ partis, ſed certum, & evidens. Evidenter quippe intellectus videt probabilitatem in propoſitione, cui adhæret: immo eam videt in utraque contradictionis parte. Non poteſt autem judicare utramque partem eſſe veram, aut falſam, quia ſi una vera eſt, altera falſa ſit oportet. Movetur autem intellectus veriſimilitudine, vi cujus judicio abſoluto judicat partem, cui adhæret, eſſe veram, & quam rejicit, eſſe falſam. Sed quia probabilitate, ſeu veriſimilitudine intellectus movetur, non aliquo principio certo & evidenti; idcirco tale judicium eſt opinativum cum formidine partis contrariæ. Sola itaque veritas, aut certo, aut probabiliter cognita eſt regula poſitiva honeſtæ operationis. Ex hac ſola finitione præceps corruit ſyſtema Probabiliſticum.

III. Probabile ſignificat quod eſt approbatione dignum, ſeu *approbabile*. Probabile idem eſt ac veriſimile. Probabilitas alia *ſpeculativa*, alia *practica*; illa contemplatur rerum naturas, hæc opera dirigit. Perpetuo abutuntur hac diſtinctione Probabiliſtæ. Penes ipſos opinio *ſpeculative* probabilis ſpectat actionem a ſuis circumſtantiis abſtractam: *practica* vero conſiderat actionem omnibus circumſtantiis veſtitam. Quando variantur circumſtantiæ in genere moris, non eſt amplius eadem opinio, ſed diverſa. Quare & probabilitas ſpeculativa & practica ſpectant eamdem omnino actionem: illa in abſtracto, prout contemplatur convenientiam prædicati cum ſubjecto: hæc operationis executionem dirigit. Denique probabilitas alia *major*, alia *minor*: alia ab *extrinſeco* Theologorum auctoritati innixa: alia ab *intrinſeco* rationibus munita.

§. II.

Firmum judicium ad opinionem probabilem requirunt Probabiliſtæ.

I. VIX aliqua eſt propoſitio univerſe, & omnibus probabilis. Cum enim opinio probabilis dicatur non abſolute, ſed relate ad humanam mentem, quod eſt probabile uni, alteri eſt evidenter falſum, & alteri evidenter verum: Heinc patet, quam ſophiſticum & vanum principium illud probabiliſticum, quo docent, opinionem, quæ aliquot viris gravibus & doctis viſa fuit probabilis, talem omnibus eſſe debere: cum nihil frequentius ſit homines errare, & illorum errores ab aliis corriguntur. Inquit enim S. Paulus: *Alius judicat diem inter diem, alius autem judicat omnem diem. Rom.* 14. Sicut enim varii ſunt ſcientiæ, ita & ignorantiæ gradus.

II. Cum imperiti audiunt a Probabiliſtis firmum, & moraliter certum requiri judicium ad opinionem practice probabilem, omnem dubitationem amotam putant. Sed aperte falluntur. Quando enim probabiliter de aliqua re diſputatur, utraque contradictionis pars probabilis apparet. Ergo firmum judicium de alterius partis veritate haberi nequit. Firmum ergo judicium quod requi-

Digitized by Google

runt Probabiliſtæ, non eſt de veritate, ſed de probabilitate, ideſt de incertitudine. Siquidem qui ſcit aliquid ſibi eſſe probabile, certo ſcit ſibi illud eſſe incertum, & veritatem ignotam. Quæ probabilitas ſi major qua haberi poſſit, ſit, excuſare conſcientiam valet; ſi falſa eſt, efficere honeſtam operationem nequit.

§. III.

Rationes, quibus nititur Probabiliſmus, ſunt humanæ mentis figmenta.

I. NE Probabiliſtis me imponere Lectores ſuſpicentur, verba tua *Cl. Carpane* tranſcribere volo. Inquis itaque pag. *9.*
„ Neque opponas operantem aliquid, quod
„ ex invincibili ignorantia putat non eſſe
„ contra legem Dei, licite operari, quam-
„ vis dictamen, quo dirigitur in operando,
„ *ſit falſum*. Nam eſto *judicium prævium*
„ *ſit falſum*, judicium tamen, ac dictamen
„ ultimum, a quo proxime, & immediate
„ dirigitur, *non ſolum eſt verum*, *ſed etiam*
„ *moraliter certum*, utpote quod eſt hujuſ-
„ modi. In hac re incerta, poſt debitam
„ diligentiam *fruſtra adhibitam in veritate*
„ *indaganda*, licite operor id quod ex ra-
„ tionibus, quæ mihi graves apparent, ju-
„ dico mihi hic, & nunc eſſe licitum. Ro-
„ gabis. Undenam certi ſumus, quod in
„ concipiendo ultimo dictamine practico ſe-
„ quamur rectum animi ſenſum, & non po-
„ tius inordinato aliquo affectu moveamur?
„ *Reſp. id* nobis experientia compertum eſ-
„ ſe: experimur ſiquidem nos bona fide pro-
„ cedere in judicando: neque hic & nunc
„ perturbato ullo animi motu tranſverſum
„ agi. " Nihil clarius, nihil evidentius.

II. Hæc doctrina honeſtat ſpiritum privatum Lutheranorum, Judaiſmum, Paganiſmum, Mahometiſmum, omneſque ſectas. Nam omnes homines harum ſectarum ſe bona fide procedere judicant. Et quo homines ſunt magis obcœcati, eo tranquilliori animo operantur. Concedis *prævium, & directum dictamen eſſe falſum*, & continuo ſubdis *dictamen ultimum*, a quo proxime dirigitur operatio, *non ſolum eſſe verum, ſed etiam moraliter certum*. Fateris *fruſtra adhibuiſſe diligentiam, ut veritatem invenires.* Ergo dictamen ultimum *verum eſt ſine veritate: certum eſt ſine certitudine*. Reponis hanc veritatem & certitudinem *experientia nobis compertam eſſe*. Sapientiſſime. Experientia ergo tranſmutat falſitatem in veritatem, incertitudinem in certitudinem, obſcœna in honeſta? An ſimilia paradoxa reperiri queant in Academiciſmo, in Pyrhoniſmo, & univerſa Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis Philoſophia, judicent Doctiores. Interim planum eſt, reflexiones, & dictamina quæ formant Probabiliſtæ, ut opinionem practice probabilem efficiant, eſſe mera humanæ mentis figmenta, nec aliud fundamentum habent rationes illæ, quas *ſolidas* appellant, præter cerebrum humanum pro ingenio opinantis, & tricantis. Nam tu ipſe *Cl. Carpane* iſtius ſoliditatis & certitudinis aliud fundamentum non aſſignas, niſi *experientiam tranquilli animi, & fidem bonam.* Sed hac ratione & Mahometanis Alcorani commenta, & Paganis Numinum ſuorum fabulæ, & Lutheranis ſpiritus privatus, & cœcis ſua deliria ſolida videntur.

§. IV.

Qui ſint viri docti apud Probabiliſtas, in quos ſuam reſolvunt minorem probabilitatem.

I. NIhil frequentius in ore habent Probabiliſtæ quam hunc ſillogiſmum. Quod docent Doctores Claſſici docti, pii, probique, certo & practice probabile eſt. Hanc opinionem docent præfati Doctores. Ergo eſt practice & certo probabilis. Sic tu *Cl. Carpane* ſcribis pag. 4. *Licet mihi in hac re incerta operari juxta opinionem, quam Graves Auctores docent, validæque rationes ſuadent. Sic enim operando prudenter operor.*

II. Et quoniam horum Doctorum auctoritate ſummopere indigent, toti ſunt in his viris doctis, probiſque ornandis. Talem eſſe virum doctum contendunt plures, cui nunquam probabilitatis ſpecie error obrepat, vel dubia pro veris approbentur. Sed talis vir doctus alibi, quam in hoc mundo quærendus eſt. Alii docent illos eſſe doctores claſſicos, qui controverſiam hanc ex inſtituto verſaverint, & utriuſque partis rationes expenderint, atque ſolidis rationibus opinionem minus probabilem firmaverint. Hac vaniloquentia fucum faciunt imperitis.

III. Sed, ut ex iſtorum verborum antris erumpant, illos urgeo, ut perhibeant nobis iſtos Doctores claſſicos, doctos, proboſque. Ignoras ne illos? En quinam ſint. *Medina*, *Lopez*, *Vaſquez*, *Sanchez*, *Caramuel*, *Bonacina*, *Filliucius*, *Molina*, *Baldellus*, *Leſſius*, *Layman*, *Tamburinus*, *Eſcobar*, *Terillus*, *Gobat*, *Leander*, *Sporer*, *Diana*, *La Croix*,

Croix, *Kazemberger*, & alii ſimiles. Recte & bene.

IV. Sed omnes præfati Auctores ſcatent in re Morali plus & minus opinionibus damnatis, laxis, & ſcandali plenis, ut Terillus adfirmat, & facti veritas patefacit. Ergo in hac cauſa nullius ſunt auctoritatis. Sint in aliis ſcientiis docti, & ſapientes: ſint pii: ſint probi. At nemo jure aſſerere poterit iſtorum auctoritatem efficere, ut aliqua opinio minus probabilis in conflictu probabilioris ſit vera norma conſcientiæ rectæ.

§. V.

Appellatio Probabiliſtarum ad Caſuiſtas doctos, prudentes, proboſque abſurdorum pleniſſima.

I. Lubet clarius Syſtema Probabiliſticum delineare non aliis coloribus, quam ipſorum Probabiliſtarum. R. P. Claudius La-Croix *lib. 1. n. 377. pag. 37.* hæc docet. „ Si quis judicet opinionem alienam „ eſſe probabilem, *quamvis videatur eſſe* „ *falſa*, ideoque ſpectatis principiis directis, „ uſus illius videatur eſſe *illicitus*: ſi tamen „ de hoc certus non ſit, valde probabile „ eſt, quod ex *principiis reflexis* poſſit ſibi „ formare prudens dictamen, & ſecundum „ hanc opinionem operari dicendo. *Judico* „ *quidem opinionem illorum eſſe FALSAM:* „ *quia tamen hoc mihi incertum eſt:* & Auctores *me ſapientiores, qui opinionem poſ-* „ *ſunt reddere certo probabilem, dicunt il-* „ *lam eſſe veram, ego quoad hanc operatio-* „ *nem me accommodabo illis*: & interea præ- „ ſcindam a directa opinione. *Ita abſolute* „ *tenent Azor, Vaſquez, Leſſius, Valentia,* „ *Salas, Bonacina, Sotus, Bannez, Serra,* „ *Bardi, Tavnerus, Sanchez, Terilus....* „ *aliique plurimi, & graviſſimi Auctores cum* „ *Illſung... & Mendo.* “

II. Audiſtin' doctrinam, quam propugnant Doctores Claſſici, graves, pii, & probi? Ea admiſſa, quiſque pro veritate divendere falſitatem poterit. Nam quod tu judicas falſum, alteri verum eſt. Ergo quod tu judicas falſum, evulgare poteris, tuo depoſito judicio directo, ut verum, medio judicio reflexo fundato in aliorum Caſuiſtarum auctoritate. En cavernas ſophiſmatum, & antra diſtinctionum! Vi iſtius doctrinæ Mercatorum, artificum, miniſtrorum, & cujuſque ſtatus Chriſtianorum quiſque poterit ſibi comparare ſummas Bertini, & Bertachini; Bertoldi, & Bertualdi, ſeu *Dianæ*, *Eſcobarii*, *Tamburini*, *La-Croixii*, *Leandri*, *Bonacinæ*. Auctores iſti penes Probabiliſtas ſunt Claſſici, docti, pii, prudentes. Vix in eorum libris pagina eſt, in qua non occurrant opiniones contradictoriæ ambæ probabiles, quarum altera defendit contractum non eſſe ſenebrem: altera adfirmat. Tu judicas contractum eſſe ſenebrem, & *falſam* primam opinionem. Verum quia hæc opinio tibi falſa favorabilior, & exoptatior eſt cupiditati tuæ, deponis tuum judicium directum, & alterum judicium reflexum formas inquiens: Ita docet *Diana*. Ita *Tamburinus*. Ita *Sanchez*. Ita *Terillus*. Ita *La-Croixius*. Auctores iſti Claſſici ſunt, pii, & probi. Ergo probabilis mihi eſt iſtorum opinio, tametſi judicio directo meo reputem illam *falſam*. Quis doctrinæ hujuſce horrorem non ſentit?

III. Siquidem quemadmodum non aliena, ſed propria mente Theologus eſt: ita non aliena, ſed ſua mens eſt regula propriæ voluntatis. Nihil ergo monſtroſius, quam quod docent Probabiliſtæ Doctores Claſſici, pii, & probi, Theologum nempe poſſe deponere propriam conſcientiam, qua judicat contractum uſurarium: & aliena opinione uti, quæ minus probabiliter judicat contractum non eſſe uſurarium, ſed licitum. Verum preſſius rem urgeo. Evidens eſt, & extra controverſiæ aleam poſitum, in opinionibus probabilibus contradictoriis alteros eſſe prudentes, alteros imprudentes. Ergo appellatio probabiliſtica ad prudentiam & doctrinam recentiorum Probabiliſtarum, eſt purum putumque ſophiſma. Vos o Probabiliſtæ judicando opinionem minus probabilem, eodem actu judicatis Auctores veſtros Claſſicos eſſe minus prudentes: judicatis veroſimilius illos decipi. Porro quid abſurdius, quam illorum invocare teſtimonium, quos vos ipſi probabilius judicatis falſum eſſe teſtaturos? Præterea. Si Probabiliſtæ pro regula conſcientiæ aſſignantes opinionem minus probabilem ſunt prudentes, potiori jure ſunt prudentes Antiprobabiliſtæ. Aut iſtos prudentes aſſeritis, aut imprudentes? Imprudentes aſſerere non poteſtis, cum ipſi judicatis licitum, immo perfectius eſſe ſequi opinionem probabiliorem. Ergo imprudentes ſunt Probabiliſtæ. Duæ enim opiniones contradictoriæ, ſicut nequeunt eſſe ſimul veræ; ita non poſſunt eſſe ſimul reipſa prudentes. Ergo neque earumdem oppoſiti defenſores ſimul prudentes eſſe valent; niſi dicere velitis, quod ignorantia ſit ſcientia, ſtultitia ſapientia, error veritas, fatuus ſapiens. Ergo

go cum probabilius ſit, **Probabiliſtas** eſſe imprudentes, ſtultitia manifeſta eſt, ad illorum potius, quam ad iſtorum appellare prudentiam.

IV. Dupliciter Probabiliſtæ ſuum formant ſillogiſmum, illumque refundunt in ſuorum Doctorum prudentiam, doctrinam, & probitatem. Primo ſic. *Ego judico* (inquit Probabiliſta) *contractum quem celebraturus ſum, probabilius eſſe uſuræ labe aſperſum, legeque Divina vetitum: ſed quia ſcio, plures graves Auctores Claſſicos & probos docere licitum eſſe contractum hunc: ideo & mihi contractus iſte licitus eſt. Quia quod docent Theologi Claſſici, pii, & probi, certo, & practice probabile eſt. Licitum autem mihi eſt amplecti opinionem certo, & practice probabilem*. Quid reponis o Probabiliſta? Tuus eſt ſillogiſmus. Sincere ne Deum quærit, qui ſic loquitur? Tu judicas probabilius contractum æternæ Dei legi repugnare: & nihilominus eumdem celebras? Reponis contractum utique repugnare legi æternæ primariæ & per ſe: ſed conformem eſſe *legi æternæ reflexæ per accidens* in Deo exiſtenti. Commentum iſtud chimæricum ſupra exploſum eſt. Juxta ſyſtema Probabiliſticum duo Chriſtiani eodem tempore, & in eiſdem circumſtantiis eumdem omnino contractum celebrant. Alter uſura polluitur, & damnatur: alter juſte illum celebrat, & Regnum æternum aſſequitur. Cur hoc? Quia ille ignoravit verſutam artem probabiliſticam ſuſpendendi *judicium directum*: hic vero calluit artem claudendi oculos majori luci veritatis, & repudiandi proprium judicium directum, atque formandi hunc ſillogiſmum. Qui certo, & practice probabiliter operatur, prudenter operatur. Theologi Claſſici, pii, & docti, ut *Diana*, *Caramuel*, *Tamburinus*, *Eſcobar*, *Leſſius*, *Layman*, *La-Croixius* certo & practice probabiliter docent hunc contractum non eſſe uſurarium, licet ego probabilius eum reputem eſſe fenebrem. Ergo licite eumdem celebro.

V. Sed quæſo vos, o Probabiliſtæ, qua ſinceritate, quo auſu deprecari Deum cum S. Davide valetis? *Legem pone mihi, Domine, viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper*. Quomodo orare poteſtis? *Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua*. Qua fronte canere poteſtis? *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo*. Reſpondet R. P. Antonius Terillus *de Conſc. Probab. qu.* 30. *n.* 1. *pag.* 595. hoc pacto. „ Licet „ peccatum eſſet agere contra propriam ſen„ tentiam **ACTU EXISTENTEM**, facillimum eſſet ſe a peccandi periculo exi„ mere: quia **SUSPENDENDO ACTUA„ LE JUDICIUM DE VERITATE OB„ JECTI**, quod habitualiter *habetur pro „ vero*, formari poſſet conſcientia per *prin„ cipia reflexa* de abſoluta ejus honeſtate: „ atque poſſet operans a peccato excuſa„ ri. “ Et ut audaciores efficiat ſuos lectores ad **propugnandum Probabiliſmum**, ſubdit pag. 598. aſſert. v. *Omni modo hactenus dicto, quo licet operari* CONTRA *propriam ſententiam, licet etiam contra eam conſilium dare, alioſque dirigere*. Dii meliora!

VI. Ediſſerite, quæſo, nobis, o Probabiliſtæ Arcanum iſtud. In ſuſpenſione judicii directi, numquid e mente delere valetis *directam* **legis notitiam**? Dum judicatis directe vi **ſententiæ** probabilioris contractum eſſe **uſurarium**, vos ſuſpenditis tale judicium; & **mentis oculum** convertitis in minorem probabilitatem proponentem contractum ab omni uſura **immunem**. In hac momentanea ſuſpenſione judicii directi de uſura contractus amittitis ne abſolutam, & probabiliorem notitiam legis vetantis uſuram? Solus ſtultus id affirmabit. Evidens ergo eſt, hoc veſtrum commentum *ſuſpendendi judicii directi* futile eſſe, atque verſutum & chimæricum. Futile, quia minime vos eximit ab ignorantia vincibili, quoniam ignorantia invincibilis illa dici nequit, quæ reſiſtit, & claudit oculos veriſimiliori legis notitiæ.

§. VI.

Vera, & ſincera Probabiliſmi Pictura ſuis nativis coloribus expreſſa.

I. Nihil dicturus ſum, quod Probabiliſtæ Reflexiſtæ in ſuis libris millies non doceant. Et ne exaggerationis quidpiam ſuſpicari quiſquam poſſit, penicillum mutuabor a perdocto Jeſuita R. P. *Ægidio Extrix*, qui in libello Innocentio XII. porrecto deformem Probabiliſmi vultum graphice depingit. Illius verbis utar, paucis propriis adjectis.

II. „ *Paulus* Deum timens bona præditus „ mente, & ſatis doctus invitatur ad in„ eundum contractum, qui ipſi eſt de uſu„ ræ aut ſimoniæ vitio ſuſpectus. Ut con„ ſcientiæ ſuæ conſulat, pro captu ſuo rem „ ſub examen inducit: rationum momenta „ quæ in utramque partem urgent, expen„ dit: Doctores conſulit: Comperit Docto„ res longe plures damnare contractum, &

„ ho-

„ horum rationes ipſi videntur fortiores .
„ Judicat ergo & ipſe contractum uſurę ,
„ aut ſimonię labe inquinatum : idcirco
„ contrahere renuit . Occurrit ei *Doctor Pro-*
„ *babiliſta* exclamans. Quid times mi *Pau-*
„ *le* ? Ignoras ne decem eſſe Doctores Claſ-
„ ſicos , qui contractum a cujuſcumque ſi-
„ ve uſurę, ſive ſimonię macula immunem
„ propugnant ? Sat ſcio, inquit *Paulus*. Sed
„ ſcio itidem viginti Doctores aſſerere eum-
„ dem eſſe aut ſimoniacum, aut ſenebrem,
„ horumque rationes validiores mihi ſunt .
„ Quid refert ? reponit *Doctor Probabiliſta*.
„ Te ne latet licitum tibi eſſe ſequi opi-
„ nionem *minus probabilem* in conſpectu
„ probabilioris ? Subdit *Paulus* . Etiamne
„ opinionem quam judico *falſam*? Scilicet,
„ ait *Doctor Probabiliſta*, dummodo innita-
„ ris practica & certa probabilitate contra-
„ rię opinionis, quamvis minore. Ego ne,
„ clamat *Paulus* , contractum inibo , quem
„ ſimoniacum , aut uſurarium judico ? Ni-
„ mium meticuloſus es mi *Pauline*, reſpon-
„ det *Doctor Probabiliſta* . Non eſt cur ti-
„ meas , neque fluctues : quoniam illud
„ tuum primum judicium proficiſcitur ex
„ *principiis directis* de contractu ſecundum
„ *æternam legem primariam & per ſe* : cum
„ quo bene conſiſtit aliud judicium *refle-*
„ *xum ſecundum legem æternam conſequen-*
„ *tem, & per accidens* , ut ſubeſt *probabi-*
„ *litati practicæ, quamvis minori* . Quid ,
„ clamitat *Paulus*, reflexiones mentales *Do-*
„ *ctor Probabiliſta* obtrudis ? Hęc veſtra
„ *judicia reflexa* , ut ex animi ſententia lo-
„ quar, ſunt aranearum telę, verborum in-
„ volucra, & arbitraria humanę mentis fig-
„ menta. Numquid hęc *judicia reflexa* con-
„ tractuum naturas immutare valent? Num-
„ quid uſuram in juſtitiam , ſimoniam in
„ religionem tranſmutare queunt ? Apage
„ itaque cum hiſce *tuis reflexionibus*, quas
„ non pluris facio , quam verſuta rabula-
„ rum in foro artificia, & pręſtigia . “

III. „ Bona verba quæſo reſumit *Doctor*
„ *Probabiliſta* . Macte virtute *Pauline* mi,
„ & ne graveris duo alia audire ver-
„ ba, quibus omnem tibi eximam ſcrupu-
„ lum. Illud tuum judicium , quo judicas
„ contractum aut uſurarium, aut ſimonia-
„ cum, cum ſit opinativum, eſt tibi libe-
„ rum . Id quippe dumtaxat menti neceſ-
„ ſitatem imponit, quod eſt evidens. Illud
„ igitur tantiſper ſuſpende. Quid mihi inde
„ emolumenti? Nam etiam ſuſpenſione judi-
„ cii facta , altius in mente reſident ratio-
„ nes, & auctoritates, quas pro uſura, vel
„ ſimonia video prævalere. O mi *Pauline*
„ adhuc inſanis ? adhuc ſine intellectu es?
„ exclamat Doctor Probabiliſta . Eja tan-
„ dem ſile, mi *Paule* , & *Myſterium* beni-
„ gnæ Doctrinæ quod pauci percipiunt, de-
„ miſſo , humilique animo auſculta . Ut
„ omnino ſecurus ſis ac tutus, o *Paule*, ſuſ-
„ penſo judicio directo, animum tuum aver-
„ te a conſideratione rationum & auctori-
„ tatum, quæ demonſtrant contractum uſu-
„ ræ aut ſimoniæ fuligine tinctum: & ſo-
„ las contrarias opinionis minus probabilis
„ rationes, quæ licitum contractum repræ-
„ ſentant , intento animo commeditare .
„ Quid facilius? & hac via contractum ti-
„ bi lucroſum , commodumque tuta con-
„ ſcientia inibis Probabiliſmi beneficio . “

IV. Hæc fucis, & calamiſtris ſublatis *Probabiliſmi* genuina imago: hæc ejus nativa indoles . Qui loco Satyræ habet præfatam deſcriptionem, is ſane Probabiliſticum ſyſtema penitus atque penitus ignorat . Probabiliſtas omnes provoco , ut deſignent, quid ſit in hac deſcriptione carpendum? Qui color falſus? Quæ umbra picturæ addita? quod verbum minus verax minuſque aptum? Singulas propoſitiones expreſſis Doctorum Probabiliſtarum verbis me confirmaturum ſpondeo, & ex iis, quæ in tranſcurſu ſupra indicavi , res plana & certa eſt . Poſita autem deſcriptionis veritate , quid aliud expectas , ut Probabiliſmum tanquam humanum commentum deteſteris ? Lumine illo *directo* ſuper vultum animæ tuæ ſignato , ſincere judicas contractum eſſe feneratitium, aut ſimoniacum. Ut autem avaritiæ, ambitioni & concupiſcentiæ faveas, hoc repudiato lumine, ad ratiunculas, & diſtinctiunculas, ad artificia humanæ mentis te recipis : ut injuſtitiam, uſuram, vel ſimoniam contractus abſcondere verſute queas, mentem retrahis a majore lumine , ut eam in minoris probabilitatis nubeculam convertas . In quos, amabo te , melius quadrat S. Jobi increpatio: *ipſi fuerunt rebelles lumini: neſcierunt vias ejus? c.* 24. Nonne iſti apertiſſime clamant, ſe rejicere majorem divinæ legis lucem in rebus obſcuris, ut adhæreant minori, quæ favet carni & ſanguini, quæ indulget libertati, & avaritiæ, atque adeo ſua voce, facto dicunt: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus? Job* 21.

V. Plantam Probabiliſticam eſſe qualem illam deſcripſi, fructus qui ex illa prodiere, evidenter confirmant. Non recenſebo centena & centena laxitatis paradoxa , quæ ex Probabiliſtis ſinceritate ſumma tranſcripſe-

runt

Digitized by Google

runt tot ſcriptores, non centenas & amplius theſes, quas damnavit Romana Sedes, ſed ſatis eſſet ea indicare quæ in hac ultima decade in patrocinium laxitatis prodiere. Quot diſſertationes editæ non ſunt ad protegendum gulæ negotium contra ſacra Eccleſiæ jejunia? In defenſionem tactuum mamillarium decem circiter volumina. Pro ſanguinario duello pugnatum audacter eſt. Pantheiſmus ſatis clare aſſertus: Patres Eccleſiæ contempti, & præcipue Magnus Auguſtinus. Chriſti Incarnatio læſa, Euchariſtia profanis & indignis ut adminiſtretur, perſuaſum eſt: ſolum Deum non poſſe peccata dimittere, docetur. Libelli famoſi, & infames contra ſanioris Doctrinæ vindices, repetitis typis evulgati fuere. Hæc omnia ſub oculis noſtris peracta ſunt, Deo ſit permittente ob ſua tremenda judicia. Et his non obſtantibus, in præſidium laxæ & probabiliſticæ doctrinæ libri in dies evulgantur. Qui veram ſanam propugnare doctrinam ſatagunt, diffamantur ut *Tutioriſtæ*, *Janſeniſtæ*, *& Phanatici*. Et cum oppugnare calamo illos neſciunt, artificia ſubſtituuntur. Laxam doctrinam appellare laxam, erronea paradoxa vocare erronea, crimen eſt. Hæc omnia lippis & tonſoribus comperta ſunt. Heu tempora noſtra infelicia! Sed ut Chriſti Evangelia prædicunt, impoſterum pejora erunt: quoniam impleri illud Lucæ *cap.* 18. debet *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?*

§. VII.

Aliud ſophiſma Probabiliſticum refellitur. In dubio de honeſtate actionis melior eſt conditio poſſidentis. *Unde inferunt in æquali oppoſita probabilitate favendum eſſe libertati*.

I. IN controverſiis juſtitiæ præfatam regulam valere olim contendebant plures. At ultro concedimus in quacumque materia locum habere. Ut probabiliſtici ſophiſmatis vanitatem percipias, in mentem revoca æternam Dei legem eſſe primam cujuſque operationis noſtræ regulam. Ad tribunal Probabiliſticum ſe ſiſtunt Deus & homo. Ambo jura exponunt, quæ utriuſque partis æqualia apparent. In favorem libertatis humanæ contra Deum ſententiam dicit tribunal Probabiliſticum. Cur? Quia *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Ne terreare, inquit *de conſc. Prob. q.* 23. *n.* 48. *pag.* 426. R. P. Antonius Terillus. *Reſpondeo, eamdem regulam æque favere Deo contra nos, ac nobis contra Deum. Favet nobis, quandiu ſumus in poſſeſſione libertatis: Favet Deo, quando lex eſt in poſſeſſione.*

II. Et unde quæſo nobis iſte ſupremus titulus libertatis contra Deum? *Quid habes* (clamat Paulus 1. Cor. 4.) *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quando diſputatur, utrum contractus ſit uſurarius, quodnam eſt controverſiæ caput? Non ſane aliud niſi, utrum Paulus ſit nec ne liber ad perficiendum contractum. Æqualia rationum momenta evincunt, adeſſe & non adeſſe legem vetantem contractum. Quo ergo auſu jactant Probabiliſtæ certam libertatis poſſeſſionem, quando jura æqualiter favent legi, ac libertati? Dum iſti obtrudunt, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, perridiculam committunt petitionem principii, ut ſchola loquitur. Unde enim habent certam eſſe libertatis poſſeſſionem, ſi æqualiter jura favent legi, ac libertati?

III. Et tu *Cl. Carpane* ſcribere audes pag. 63. *Utramque libertatem tum phyſicam, tum moralem CERTO poſſidemus, quandiu lex prohibens eſt incerta*. Tumetipſe fateris æqualiter jura favere legi ac libertati: nam iſtud eſt tuæ *diſſert.* 2. *caput*. *An licitum ſit ſequi opinionem pro libertate potius quam pro lege, quando utraque eſt æque probabilis*. Cedo. Dominium liberum hominis in ſuas actiones, nonne ſubjectum eſt ſupremo dominio Dei? Ais. Ergo quoties diſputatur, conceſſerit ne Deus dominium in hunc, aut illum contractum, in hanc aut illam actionem, regula, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, Deo magis favet, quam homini; quia poſſeſſio Dei certa eſt, hominis dubia. Sed ut fortius te urgeam: ſint Deus & homo pares in cauſa; cum æqualis ſit pro utraque parte probabilitas. Cur ergo in pari cauſa hominem Deo præfers? Æqua ſunt utriuſque partis jura. Cur ergo prælationem homini concedis? Neque reponas, legem dubiam non eſſe ſufficienter promulgatam, quia de hoc infra ſermo erit: interim ipſe concedis æqualia eſſe jura, quæ evincunt exiſtentiam legis, ac jura quæ favent libertati. Iterum itaque peto, cur in pari cauſa Deo hominem præferas?

IV. Præterea, dum intellectus pari utrinque probabilitatis contradictoriæ pondere premitur, neutri aſſentiri parti poteſt, ſed ſuſpenſus, ſeu dubius remaneat neceſſum eſt. Sicuti libræ lances æqualibus ex utraque parte preſſæ ponderibus, in neutram partem pendent. Reponis *Cl. Carpane* pag. 68. *Sicuti*

cuti poteſt voluntas imperare ſibi electionem unius præ altero ex bonis omnino æqualibus... Ita poteſt ex aſſenſibus æque probabilibus unum præ altero imperare intellectui. Reſponſio vere probabiliſtica eſt. Stat ergo pro ratione voluntas? Nemo inficiatur poſſe voluntatem imperare intellectui, ut uni parti præ altera adhæreat. Sed voluntas, ſuapte natura cœca, inique & perverſe imperat, cum æqualia omnino ſint utriuſque partis rationum momenta, ut unum præ altero eligatur. Etiam Mercator digito premere libræ lancem valet, ut in ſui commodum pendeat: at ſicuti injuſtus Mercator iſte eſſet, ita a peccato liber non eſt, qui in æquali rationum pondere digito, ſeu imperio voluntatis ſubigit intellectum ad favendum libertati. Confuetas tricas obtrudere Probabiliſtæ valent, at nihil ſolidi umquam.

V. Sed quid eſt, *Cl. Carpane*, quod vos Probabiliſtæ ſemper in rebus controverſis bellum indicitis æternæ Dei legi, & pro patrimonio libertatis humanæ, ejuſque appetitionum tam firmiter dimicatis? Quid eſt hoc? Propheta Regius canit Pſal. 39. *Lex tua in medio cordis mei*. Rurſus Pſal. 110. *Portio mea, Domine, dixi cuſtodire legem tuam. Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion*. Non calamitatem, non grave jugum, non tyrannidem, ſed hæreditatem ſupra aurum & topazion reputavit Sanctus Propheta cuſtodire legem Domini, quam & in medio cordis ſui fixerat. Quis hæredum exceptiones & effugia venatur ut pinguem hæreditatem abdicet, rejiciatque? Quis hæres clamitat? Hæreditas non probat, non concludit. Quis, ut opulentam hæreditatem rejiciat, opponit: *Melior eſt conditio poſſidentis?* Quid precor poſſidetis, o Probabiliſtæ! Libertatem, inquitis, noſtram. Ita ne vero? An non videtis quid recuſatis? Non ſane malum, non detrimentum, non gravamen; ſed hæreditatem, feuda plura, ampla prædia, palatia magnifica, aurum, argentumque. Quid? Aures arrigunt vel ipſi Probabiliſtæ. Cur? Quia bona iſta revera amant. Neque cavillantur, ut evincant hæreditatem ſibi non competere. Non *leges reflexas* comminiſcuntur, non verſutas artes excogitant, ut præfata bona repudient; ſed contra Advocatos adeunt, ut hereditatis jura defendant. Cur hoc? Ut hereditatem inquitis obtineamus. Quid? Vultis ergo libertatis jura amittere? Ridetis, clamatiſque: Hæreditatem bonum veſtrum eſſe: & felicitatem reputatis libertatem veſtram ſubjicere opulentæ hæreditati. Ex ore veſtro vos judico. An æterna lex Dei hereditas non eſt? An non parit hereditatem infinitam, & regnum ſempiternum? Hæc meditare o Probabiliſta, & erubeſce. Concionatoria iſta ſunt ſcilicet, ſed Evangelica. Audiant iſti S. Thomam, qui 2. 2. *q.* 44. *a.* 1. *ad* 2. hæc docet: *Obligatio præcepti non opponitur libertati, niſi in eo, cujus mens averſa eſt ab eo quod præcipitur. Sicut patet in his, qui ex ſolo timore præcepta cuſtodiunt. Sed præceptum dilectionis non poteſt impleri, niſi ex propria libertate. Et ideo libertati non repugnant*. Ergo, qui lites ſuſcitant, qui cavillantur, ut hanc legis hæreditatem reſpuant, ii ſunt, quorum mens averſa ab eo eſt, quod præcipitur. Infeſtam libertati reputant legem: & quemadmodum in bello armorum quiſque pugnat, ne ab hoſte capiatur, & captivus evadat: ita Probabiliſmus & Deo bellum intentat rationis, & omnia commenta, cavillationes, ſubdiſtinctiones, & omnia verſuta artificia adhibet, ne ſubjiciatur: ac niſi vi rationis evidentiſſimæ, & ineluctabilis demonſtrationis vinculo capti, & devincti Probabiliſtæ cedere firmiſſime nolunt.

§. VIII.

Alterum principium Probabiliſticum: Lex controverſa, & dubia non eſt lex, *falſum, erroneum, & immanium abſurdorum plenum eſt*.

I. HOC eſt principium commune inter Probabiliſtas Reflexiſtas, quorum principes ſunt Caramuel, & R. P. Antonius Terillus, qui 1. *p. q.* 2. *n.* 45. *pag.* 19. hæc ſcribit: *Quoties adſunt rationes probabiliter ſundantes partem minus tutam eſſe licitam, lex præcipiens partem tutiorem non eſt ſufficienter promulgata. Ergo illa lex neminem obligat*. R. P. Segneri *Epiſt.* 3. *n.* 2. ait. *Quis umquam dixit legem dubiam eſſe legem?* Sed quid teſtimonia reſcribo, cum nihil frequentius in libris Probabiliſtarum recurrat, quam præfatum paradoxon?

II. Super eadem lege dantur duæ opiniones probabiles contrariæ, quarum altera affirmat, altera negat contractum eſſe fenebrem. Atqui ſi verum foret, legem controverſam non eſſe ſufficienter promulgatam, atque adeo non eſſe legem, falſa eſſet prima propoſitio, quam alioquin omnes admittunt. Ergo principium probabiliſticum de lege probabiliter controverſa non eſſe legem, falſum eſt. Nam ſententia, quæ aut

affirmat, aut negat licitum eſſe contractum, vi alicujus legis, quæ promulgata ſufficienter non eſt, falſa omnino eſt, & nullo modo probabilis, ut fatentur omnes. Ergo Probabiliſmus vi iſtius principii chimæra eſt. Siquidem principium, cui potiſſimum nititur Probabiliſmus, iſtud eſt de lege non promulgata, quoties de eadem in utramque partem probabiliter diſputatur. Quo admiſſo principio, nulla datur probabilitas, quia ſublata lege, quidquid de eadem affirmetur aut negetur, falſum eſt.

III. Verum Probabiliſtæ ſe propriis antilogiis jugulant. Nam ipſi omnes adfirmant, peccatum committi *materiale*, ſi opinio probabilis ſit falſa: Quod peccatum non imputatur erranti ob ignorantiam invincibilem. At admiſſo principio, quod lex ob mutuam probabilitatem non eſſet ſufficienter promulgata, atque adeo non eſſet lex, nulla, ne *materialis* quidem, culpa foret. Quoniam nulla lex ſine promulgatione, nulla culpa ſine lege. Ergo dictum principium chimæra eſt.

IV. Vix in Decalogo aliquod mandatum eſt a Probabiliſtarum diſputationibus immune. Admiſſo principio probabiliſtico, quod lex probabiliter controverſa non eſt lex, Decalogum fere univerſum in fumum occidit. Nec reponas Probabiliſtas non de legum exiſtentia, ſed de legum extenſione loqui. Papæ! Hoc unum deerat, quod Decalogi exiſtentiam negarent. Scimus eos de Legum extenſione ad hos, aut illos caſus diſputare. P. Terillus tamen teſtatur hæc duo parum differre *de Conſc. Prob. q.* 23. *n.* 15. *pag.* 411. ubi inquit. *Adverto quæſtionem dupliciter fieri poſſe. Primo ſi utrinque detur probabilitas de ſubſtantia ſeu exiſtentia legis: ſi nempe ita probabile ſit legem exiſtere, ut oppoſitum etiam ſit probabile . . . Secundo ſi certo conſtet de lege, ſed dubium ſit de aliquibus, an involvantur in lege.... Hic ſecundus modus loquendi reipſa COINCIDIT cum primo: quia omne ejuſmodi dubium ſemper procedit de ſubſtantia legis, ſcilicet de voluntate, & imperio ſuperioris, in quibus eſſentia legis conſiſtit*. Quid quod in ipſos Legumlatores refundit confuſionem, & diſſidia Theologorum. Sic enim eidem loquitur pag. 416. *In his ergo tribuant ſibi Legislatores, ſi ſua imperia aliquando violari videant, cum ſufficienter non explicarint voluntatem ſuam, cui ſufficienter explicatæ, ſubditi paratiſſimi erant obedire*. Nec ipſum Deum ab hac ſua doctrina excipit, ſed de eodem ſic ibidem *pag.* 413. loquitur. *Deus enim ſi ALITER voluiſſet, idipſum expreſſiſſet, cum hoc ipſum æque facile illi fuiſſet, ac oppoſitum. At Deus hoc non expreſſit. Ergo ea ſub obligatione cadere noluit. Hoc eſt totum, quod intendimus: illudque manifeſtiſſime ſequitur ex defectu promulgationis ſufficientis*.

V. Hanc Terilli doctrinam adoptant omnes Probabiliſtæ. Pugnat hęc cum ſenſu communi. S. Thomas 1. 2. *qu.* 96. *art.* 6. *ad* 3. hęc docet. *Et ſi poſſet Legislator omnes caſus conſiderare, non oporteret, ut omnes exprimeret propter confuſionem vitandam*. Si Deus voluiſſet exprimere, ut contendit Terillus, omnes legis controverſias & caſus, debuiſſet tot volumina legum condere, quot ſunt volumina Caſuiſtarum. Verum, ut quam abſona ſit hęc probabiliſtica doctrina, percipiatur, eam ad Scripturam ſanctam revoco. *Deuter.* 17. hęc Deus pręcipit. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris.... ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit eo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint... & docuerint te juxta LEGEM ejus; ſequeriſque ſententiam eorum*.

VI. Si lex probabiliter controverſa inter Doctores non eſſet lex, ut docent Probabiliſtę Reflexiſtę, futile & inane eſſet Divinum mandatum. Ergo tam evidens eſt falſitas Probabiliſmi, quam evidens eſt falſitas iſtius capitalis principii, cui machina Probabiliſtica ſuperſtruitur. Abſurda, quæ ex præfato principio neceſſario manant, horrenda ſunt.

VII. Si leges probabiliter controverſæ in utramque partem, ex defectu promulgationis, leges non ſunt, exulent ab orbe catholico judicum Tribunalia: exulent Theologorum ſcholę: exulet ſacrarum legum ſtudium. Non amplius Catholici in controverſiis probabiliter in utramque partem diſcuſſis, ſive ſint legis divinę, ſive canonicę, ſive civilis, recurrere debent ad ſuos Epiſcopos, ad Summum Sacerdotem, ad Tribunalia. Quia leges probabiliter controverſę, non ſunt leges. Si Advocati, Juriſconſulti, & Curiales omnes ſcirent hanc doctrinam, comburerent omnia Probabiliſtarum volumina, etiam illi qui Probabiliſtis addicti ſunt. Audi & perhorreſce. Ut Chriſtiani impoſterum jugum plurimarum legum tum naturalium, tum divinarum, tum humanarum excutiant, accipiant in manus ſummas *Dianæ*, *Eſcobarii*, *Tamburini*, *Caſtro-*

ſtropalai, *La-Croixii cum ſupplemento R. P. Franciſci Antonii Zaccariæ*. Deinde colligant Elenchum omnium opinionum in utramque partem probabiliter controverſarum. Hinc hanc eliciant concluſionem: Omnes opiniones quæ practice probabiliter favent libertati, veræ ſunt, & contrariæ falſæ. Cur hoc? Quia leges probabiliter controverſæ, quæ jura libertatis coercent, leges non ſunt. Si leges non ſunt; ergo liberi homines ſunt.

VIII. Incredibilia hæc probabiliſtica paradoxa apparent; idcirco repetamus verba Probabiliſtarum. *Lex dubia non eſt lex. Lex controverſa probabiliter non eſt lex. Deus ſi æliter voluiſſet, id expreſſiſſet. Legiſlatores ſibi tribuant, ſi ſua imperia violari aliquando videant*. Hæc omnia tu *Cl. Carpane* transſcribis *pag. 62.* inquiens: *Lex nondum promulgata, perinde eſt, ac ſi non eſſet*. Non eſt autem promulgata, quoties eſt probabiliter practice controverſa a Caſuiſtis. An promulgatio legis ſingulis Caſuiſtis, & ſubditis fieri debet, & explicari omnes caſus, quos proprio cerebro excogitant? An ſatis non eſt legem eſſe promulgatam univerſæ communitati? Vide plura de legis promulgatione *tom. 6. Theolog. Chriſt. & tom. 2. Appar. pag. 546. & ſeq.* Alterum ergo præſtent Probabiliſtæ. Aut improbare tenentur omnia Tribunalia & Sacra & Civilia, quæ ſuper legum controverſiis ſententias pronuntiant: aut retractare Probabiliſmum præfatis regulis innixum. Quoniam ſi lex, quia in utramque partem diſputatur a Caſuiſtis, non eſt lex, quia non eſt ſufficienter promulgata, jam ego non aſtringor eamdem ſervare, quamvis certus ſim de ejus exiſtentia, quia ejuſdem extenſio ad has, aut illas controverſias non eſt clara & evidens, ſed probabiliter incerta. Ergo nulla. Tandem ex hac probabiliſtica doctrina *Libertini*, *& Spiriti fortes* immunes forent a debito credendi exiſtentiam Dei. Hi legentes innumeras opiniones de natura Deorum deſcriptas a Cicerone, quas docti Pagani in utramque partem diſputabant, cum Probabiliſtis dicent: Lex controverſa non eſt lex. Exiſtentia Deorum inter doctos Philoſophos controverſa eſt. Ergo nulla lex aſtringit, ut Deum credamus. Huc detrudit Probabiliſmus. Abſit, ut dicam Probabiliſtas hæc abſurda probare, ſed dico talia abſurda neceſſario probabiliſticam doctrinam conſequi. Quare verbis S. Auguſtini *lib. 2. de Adult. Conjug. c. 4.* illos alloquor. *Hæc quidem ipſi non ſentitis, ſed hæc ſequuntur illa, quæ ſentitis. Mutate ergo antecedentia, ſi vultis cavere ſequentia.*

§. IX.

Primum paradoxon de invincibili ignorantia probabiliſtica.

I. S Thomas 1. 2. *q. 76. a. 2.* eam ignorantiam appellat invincibilem, quæ omni adhibita diligentia & ſtudio ſuperari non poteſt. Hæc ſunt illius verba: *Ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt. Et propter hoc talis ignorantia cum non ſit voluntaria, eo quod non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum*. Hanc S. Thomæ doctrinam admittunt omnes Theologi, immo omnes Catholici.

II. Probabiliſtæ inauditum ignorantiæ invincibilis paradoxon invexerunt univerſæ antiquitati incognitum, & omnibus mirificum. Non modo illam ignorantiam invincibilem defendunt, quæ ſtudio & diligentia ſuperari poteſt; Sed quod omnem ſuperat admirationem, illam invincibilem acerrime propugnant quæ luci veritatis poſitive reſiſtit, & lumini claudit oculos, ut ſuis indulgeat commodis, ſuæque libertatis jura amplificet. Res eſt incredibilis, & tamen ex ſolà controverſiæ expoſitione patet evidentiſſime.

III. Occurrunt in univerſa Theologia millenæ opiniones in punctis obſcuris, & controverſis, quarum aliæ ſunt veriſimiliores & probabiliores, quæ favent æternæ legi: aliæ minus veriſimiles, minuſque probabiles, quæ indulgent libertati, & humanæ vitæ commodis. Paulus ſervus probabilius reputat V. G. occulte furari dominis ſuis vetitum eſſe ſervis, ut compenſent ſtipendium, quod iſti majus conſtituto reputant deberi ſuis laboribus: verum quia ſcit Probabiliſtas plures defendere licitam eſſe hanc occultam compenſationem. Immo R. P. *Ludovicus Molina*, & R. P. *Leſſius* docent, ſervos infamatos a Dominis poſſe occulte tantam pecuniam ſurripere, quanta ſat eſt ad compenſandam injuriam ſibi illatam. Hæc opinio eſt minus probabilis. Paulus rejicit opinionem probabiliorem, & amplectitur opinionem minus probabilem, quia ſibi commodam. Mercator probabilius contractum eſſe ſenebrem exiſtimat: adhæret contradictoriæ opinioni minus probabili, quia ſibi utili. Et idem dicito de omni opinione minus probabili. Si hæ opiniones minus probabiles, & minus tutæ ſint falſæ, non peccas, inquiunt Probabiliſtæ, quia *ignorantia eſt invincibilis*.

lis. Invincibilis? Oculos poſitive claudit in rebus obſcuris, & controverſis majori luci, ut adhæreat luci minori negotiis ſuis valde congruæ; & ignorantia erit *invincibilis*? Nonne ſuperari hæc ignorantia poteſt adhærendo majori probabilitati? Et tu rejicis majorem legis notitiam, & libere amplecteris minorem tuæ libertati conſentaneam: & ſi erras, error erit innocens, ignorantia erit invincibilis? Niſi hoc ſit paradoxon paradoxorum, chimæra chimærarum, nullum datur paradoxon, chimæra nulla. Quid ſignificat hæc vox *invincibilis*, ſeu *inſuperabilis*? Quod vinci non poteſt, quod ſuperari non poteſt. Et qua ſinceritate, quo animo, qua fronte dicere, audes o Probabiliſta, te ſuperare non poſſe hanc ignorantiam, ſi deliberato animo reſpuis majorem veriſimilitudinem, majorem veritatis notitiam, ut tuæ libertati conſulas? Chimæra itaque eſt hæc invincibilis ignorantia Probabiliſtica. Ergo chimæricus eſt probabiliſmus huic ignorantiæ ſuperſtructus. Quid reſpondes? Opinionem minus Probabilem, inquis, defendunt docti & probi Probabiliſtæ. Ita eſt. Sed repono, doctos iſtos, proboſque Probabiliſtas apertiſſime errare. Tuum eſt, o Probabiliſta, oſtendere præfatam ignorantiam eſſe inſuperabilem, & hos Theologos non aberrare. Huc dirigere conatus tuos debes. Neque tranſgrediare ad illum tuum paralogiſmum: qui opinionem practice minus probabilem ſequitur in conſpectu probabilioris, prudenter operatur: quia reſpondeo imprudentiſſime hunc operari. Hoc enim eſt in quæſtione, num iſte prudenter operetur. Tu adfirmas, & ego inficior. Noli ergo pro reſponſione exhibere id quod eſt diſputationis caput. Tuum eſt patefacere, qua ratione ignorantia reapſe invincibilis ſit, quando reſiſtis majori veritatis lumini, excluſis effugiis, tricis, & cavillationibus. Demonſtrare debes, quomodo mendacia, perjuria, pollutiones, furta ſub hoc chimæricæ ignorantiæ invincibilis velamine ſint æternæ vitæ meritoria.

§. X.

Alterum paradoxon ignorantiæ Probabiliſtarum, qui requirunt actualem advertentiam, ut peccatum patretur.

I. Mirificum eſt paradoxon deſcriptum, ſed inferius non eſt, quod deſcripturus ſum. Si tu Chriſtiane lector mentiaris, ſi blaſphemes, ſi pejeres, ſi fureris, non peccas, ſi non advertas te peccare, ſi reipſa non conſideras peccati malitiam, inquiunt Probabiliſtæ. Iſtorum verba de more tranſcribenda ſunt, ne muſſitare, ut ſolent, valeant, nos invidiam conflare Probabiliſmo, dum nativis coloribus eumdem delineamus.

II. R. P. Georgius Rodes *tom. 1. diſp. 2. q. 1. ſect. 1. §. 2. pag. 423.* inquit: *Quæcumque ACTU non cogitas eſſe peccata, vel certe nullo modo dubitas, non ſunt etiam ULLO MODO peccata, etiamſi antea SCIVERIS illa eſſe peccata.* R. P. Claudius La-Croix *lib. 5. n. 16.* hæc ſcribit. *Certum eſt ad peccatum prærequiri aliquam advertentiam ad legem Dei, & ad malitiam objecti.* Rurſus ibidem *n. 21.* ſubdit: *Si ſupponas adeſſe abſolutam inadvertentiam, ita ut nullo modo COGITETUR de malitia hujus objecti, quamvis ignorantia vel incogitantia ſit culpabilis, opus ex ea ſequens non habet malitiam ſpecialem, niſi PRÆCISE illius negligentiæ, vel neglectus ſciendi & advertendi, nec erit imputabile ratione ſui ... Videri poteſt Terillus.* Hæc doctrina communis eſt inter Probabiliſtas Reflexiſtas.

III. Articulus fidei eſt dari peccata ignorantiæ. Inquit enim Deus Levit. 5. *Anima ſi peccaverit per ignorantiam ... offeret arietem.* Regius Propheta clamabat: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Pſal. 24. S. Joannes Evangeliſta c. 16. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* S. Paulus 1. ad Timot. 1. *Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Hanc veritatem docent omnes Patres, & univerſa Eccleſia Catholica. Inter errores Pelagianorum unus fuit, negare ignorantiæ peccata, quem errorem damnavit Synodus Paleſtina, ſeu Dioſpolitana, ut *lib. de geſt. Pelag. c. 18.* teſtatur S. Auguſtinus: & S. Hieronymus *lib. 1. Dial. adv. Pel. c. 10.* ubi verba Pelagii, ſeu Celeſtii voce Critoboli refert: *Quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio, pœnas luo?* Hoc idem, vi evidentis ratiocinii, docent citati Probabiliſtæ. Cur enim Pelagiani negant ignorantiæ peccata? Quia ſine cognitione nemo peccare valet. Probabiliſtæ defendunt abſque actuali malitiæ cognitione peccari non poſſe. Ergo eadem eſt vi ratiocinii, Pelagianorum & Probabiliſtarum ſententia.

IV. Catholica veritas eſt homines patrare ignorantiæ crimina. Cum advertentiæ a-

ctua-

Digitized by Google

ctualis lux ſplendet, continuo evaneſcunt ignorantiæ tenebræ. Probabiliſtæ aſſerunt, neceſſariam actualem cognitionem, ſeu advertentiam, & conſiderationem, ut peccatum committatur. Ergo Probabiliſtæ vi evidentis argumentationis, non ſecus ac Pelagiani, de medio auferunt ignorantiæ peccata. Cedo. Quid ignorantiæ adverſatur? Cognitio, inquis. Qui ergo fieri poteſt, ut ignoranter peccet, qui ſcit, & advertit ſe peccare? Si conſiderat ſe peccare, quomodo peccatum ignorat? Quod ſi peccatum non ignorat, ſed cognoſcit, ignorantiæ delictum non perpetrat. Ergo Probabiliſtæ, qui acriter defendunt nunquam peccari poſſe abſque actuali advertentia, & cognitione, ſaltem confuſa malitiæ, de mundo auferunt omnia ignorantiæ peccata. Ediſſerant, quæſo, nobis Probabiliſtæ, quandonam homo ignorantiæ delictum perpetret? Dum negligit addiſcere veritatem? At hoc negligentiæ, & omiſſionis crimen eſt. Si ergo numquam peccatur abſque actuali conſideratione, nullum datur ignorantiæ delictum.

V. Communis eſt Theologorum ſententia homines peccare conſcientia erronea culpabili. Sed natura & eſſentialis notio conſcientiæ vincibiliter erroneæ pugnat cum cognitione, cum advertentia, dubio, & ſcrupulo. Si enim dubium adſit, conſcientia eſt dubia, ſi ſcrupulus ſcrupuloſa. Erronea ergo conſcientia eſſentialiter caret actuali cognitione. Quamobrem clamabat Paulus. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Homines probi & juſti *ſepties in die* cadunt, & tamen raro ſe peccare advertunt, ut de ſemetipſo teſtatur S. Auguſtinus in ſuis Confeſſionibus: *Eo inſanabilius peccabam, quo me peccare neſciebam.*

VI. Preſſius urgeamus adverſarios. Credunt ne firmiter Probabiliſtæ propriam ſententiam probabilem eſſe? Ajunt certiſſime. Porro nos quoque noſtram ſententiam non modo probabiliſſimam, ſed veriſſimam judicamus, & veſtram opinionem vi evidentis ratiocinii non differre ab errore Pelagianorum exiſtimamus. Alterutra pars fallatur neceſſe eſt, quin advertat ſe falli, aut decipi. Ergo datur ignorantiæ peccatum. Quod omnium error ſit invincibilis ſeu inſuperabilis, quis dicere auſus fuerit? Amor nimius defendendi proprium ſyſtema iſtius ignorantiæ radix eſt.

VII. Abſurda graviſſima, quæ præfatam Probabiliſtarum doctrinam conſequuntur. Si homines actuali cognitione deſtituti numquam delinquunt, dum inconſiderate perjuria, blaſphemias, convicia, maledicta in Deum Sanctoſque jaculantur, nullo modo peccant. Dum proximi famam calumniis proſcindunt, dum illius flagitia occultiſſima pandunt, nullum perpetrant crimen, quia non advertunt ſe peccare. Qui ira furoreque perciti ſanguinem effundunt humanum; qui concupiſcentiæ lenociniis obcœcati, qui immanis laſciviæ præſtigiis dementati aliorum talamos violant, qui virginum caſtitatem contaminant, nullius flagitii ſontes erunt, quod minime advertant, in tanta ſcelerum caligine obnubilata ratione, ſe Deum offendere. Tantum abeſt, ut hæretici plurimi adverterint ſe Dei Religionem contemnere, ut potius ſe Deum ſacrificiis colere crediderint. Numquid Circumcelliones peccare ſe judicabant, dum præcipites e rupibus ſe agebant? Cognoſcebat ne Neſtorius ſe peccare, dum Patriarchatu Conſtantinopolitano abdicare ſe voluit, potius quam abjurare errorem ſuum? Qui vivicomburium ſuſtinuere, ut proprios propugnarent errores, advertebant ſe peccare? Nerones, Caligulæ, Domitiani, aliique Chriſtianæ Religionis immaniſſimi perſecutores, conſiderabant ne ſe quidquam mali agere, dum Sanctos Dei ſervos tanta ſuppliciorum feritate excruciari imperabant? Denique ſi abſque actuali cognitione, ſaltem confuſa, ſuper actionis malitia nullum patratur ſcelus, quiſque in ſua ſecta ſalvus erit: immo quo obſtinatiores, quo cœciores, eo erunt innocentiores.

VIII. Reſpondent Probabiliſtæ, hos omnes peccare, non dum actu ſeu reipſa flagitia exercent, ſed tantum ob neglectum comparandæ veræ Religionis notitiæ. Redeant ſub oculos verba Probabiliſtarum relata a P. La-Croix. *Quamvis ignorantia, vel incogitantia ſit culpabilis, opus ex ea ſequens non habet malitiam ſpecialem, niſi PRÆCISE illius negligentiæ, vel neglectus in cognoſcenda vel advertenda illa malitia.* En blandientis benignitatis probabiliſticæ mirificum arcanum! Ariani itaque, Iconoclaſtæ, Wicleſiſtæ, Lutherani, Calviniani, Sociniani in ſuorum errorum perverſitate imbuti, aliique, peccarunt quidem peccatum negligentiæ in addiſcenda Catholica Doctrina: cæterum dum furore abrepti Sacras dilacerant Imagines, dum ſacrilegi Sacra vaſa polluunt, Sacroſanctum Chriſti Corpus calcant, dum Virginum gynæcea, & Monachorum cœnobia ſolo æquant, dum Altaria diruunt, Templa profanant; & Sacra omnia contaminant: hæc & alia horrenda ſcelera *non habent ſpecialem malitiam, niſi præciſe*

ſa illius negligentiæ, vel neglectus in addiſcenda, vel advertenda malitia. Incredibilia forent tam horrenda paradoxa, niſi propria Probabiliſtarum verba in medium allata eſſent.

IX. Opponunt Probabiliſtæ idipſum, quod oppoſuere Pelagius & Celeſtius. Nulla actio criminoſa eſt, niſi ſit voluntaria: ſed voluntaria eſſe nequit, niſi ſit cognita. Nil quippe volitum, quin præcognitum. Ergo nullum peccatum abſque actuali advertentia ejuſdem. Reſp. Mirum eſt tam craſſum ſophiſma obtrudi ab Adverſariis poſſe, cum nihil exploratius in Theologia Sanctorum ſit, quam duplex voluntarium: aliud directum, indirectum aliud. Ad voluntarium directum requiritur cognitio expreſſa: ad voluntarium indirectum ſat eſt cognitio virtualis, implicita, ſeu debitum & facultas acquirendæ cognitionis, ut 1. 2. *q.* 46. *a.* 3. *ad* 3. docet S. Thomas. *Eodem modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, ſicut & actus voluntatis, ut ſcilicet ſit in poteſtate alicujus conſiderare & velle, & agere: & tunc ſicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, eſt voluntarium: ita etiam non conſiderare.* Hæc ipſis tyronibus comperta ſunt. Qui poteſt & tenetur vitare malum, ſi non vetat, cenſetur ei conſentire. De medio Probabiliſtæ auferunt cœcitatis peccata. Cœci enim nullam actualem advertentiam habent ſuper ſcelerum pravitate, ut *S. Matt. c.* 15. teſtatur: *Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum .... Sinite illos, cæci ſunt, & duces cœcorum. Cœcus autem ſi cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.*

§. XI.

Ignorantiſmus Probabiliſticus eſt Parens, & Frater peccati Philoſophici.

I. PRobabiliſtæ, qui negant peccari poſſe abſque advertentia actuali, ponunt principia peccati Philoſophici. Ut res clarior evadat, alia Probabiliſtarum teſtimonia adducam, qui requirunt actualem conſiderationem ut peccetur. P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. c.* 16. *n.* 20. hæc docet: *Quare nullum eſſe peccatum mortale in voluntatis conſenſu cenſeo, niſi cogitatio aliqua præceſſerit, & conſideratio EXPRESSA, quam actualem vocant malitiæ moralis, vel periculi, vel ſaltem EXPRESSA aliqua dubitatio, vel ſcrupulus. Itaque ut quis peccet mortaliter, debet conſiderare vel opus illud eſſe malum, vel ibi eſſe malitiæ periculum, vel dubium, vel ſcrupulum ſaltem aliquem habere, quod ſi nihil horum præceſſerit, ignorantia, inadvertentia, ſeu oblivio cenſentur omnino naturalia, & invincibilia. Et ſic juxta hanc ſententiam, non ſatis eſt cognitio illa virtualis ſeu interpretativa, quam ſufficere dicebat ſententia n. præcedenti relata.* Laudat pro hac ſua opinione P. Vaſquez, qui reapſe 1. 2. *q.* 74. *a.* 7. *diſp.* 104. hanc doctrinam docet. *Concedimus numquam fieri peccatum ſine conſcientiæ reprehenſione ex parte cognitionis, quæ conſiſtit in cognitione periculi.*

II. R. P. Vincentius Filliucius adoptat doctrinam Sanchez, & Vaſquez *tract.* 21. *c.* 2. *n.* 376. *Si neque in apprehenſione ſit advertentia, tunc operatio ex ſe mala a peccato excuſat* &c. Rurſus *tract.* 25. *c.* 1. *n.* 27. hæc de conſuetudine blaſphemandi docet. *Si deſit advertentia plena, & ex ea oriatur blaſphemia, etiamſi adſit conſuetudo blaſphemandi, non committitur peccatum mortale.*

III. P. Thomas Tamburinus *lib.* 2. *Meth. Confeſ. cap.* 3. §. 3. *n.* 23. *& ſeqq.* hæc docet. „ Qui vero ex inveterata conſuetudine inadvertenter jurat, licet videatur „ obligari ad conſuetudinem confitendam, „ *tamen communiter excuſatur* .... Jam quod „ communiter excuſetur, ratio eſt, quod „ communiter nemo advertit ad obligationem quam habet illam conſuetudinem propter eam rationem extirpandi, ne ſcilicet „ ſua conſuetudo ſit cauſa proxima prædicti „ materialis mali, *& conſequenter, cum excuſetur a peccato, excuſabitur a confeſſione.* „ *Facit in ſimili de Lugo.*

IV. R. P. Antonius Terillus *tract. de conſc. Probab. pag.* 156. Philoſophiſmum docet his verbis. „ Suppono nunc ex optimorum Theologorum doctrina nullum *peccatum Theologicum*, quo ſcilicet aliquo modo ſeparamur a fine ultimo, & meremur „ pœnas illas æternas damni, & ſenſus, quas „ Deus pravis noſtris actionibus pro futura „ vita deſtinavit, committi poſſe *cum invincibili Dei ignorantia, immo nec abſque actuali cognitione*, per quam infinita „ Dei bonitas & majeſtas aut explicite, aut „ certe ſub terminis, cum clariore ejuſdem „ conceptu convertibilibus, implicite nobis „ innoteſcat. “

V. R. P. Ludovicus Molina in 1. *p. D. Thom. q.* 2. *a.* 1. *pag.* 37. Peccatum Philoſophicum clarius docet his verbis. „ Ex „ dictis colligi poteſt, tam rudes & incultos poſſe aliquos homines eſſe, *ut maxima*

Digitized by Google

„ *mæ cum probabilitate* affirmare poſſimus, „ in eis *ignorantiam invincibilem Dei poſſe* „ *reperiri*. Quod primo, & ſecundo, cum „ de ignorantia ageremus obſervavimus. Por- „ ro ea ignoratione excuſabuntur a peccato „ infideli atis, & quod Deum non colant, „ nec eidem honorem debitum exhibeant, „ *non erit eis culpæ tribuendum*. “

VI. R. P. Ludovici Molinæ ſententiam defendendam ſuſcipit, eamque confirmare nititur R. P. Rodericus Arriaga *Tom. I. diſp.* 2. *ſect.* 3. *n.* 17. *pag.* 31. his verbis. „ Probabiliorem cenſeo ſententiam *Molinæ*, „ quam facile inde probo. Nam ut ſupra „ oſtenſum eſt, *non eſt veritas per ſe nota* „ Deum exiſtere, debet ergo &c. Ego ſane „ vix dubito, quin *multi* poſſint inveniri, in „ quibus nec *per umbram* ſimilis excitetur „ ratiocinatio. *Poterunt ergo habere igno-* „ *rantiam invincibilem Dei*. “ Pejora ſcribit *pag.* 33. „ Etiamſi aliquod dubium ſuboriatur in multis barbaris hominibus, an „ ſit aliqua cauſa V. G. quæ producit cœ- „ los: non tamen propterea excitatur ſpe- „ cies, *quod illa ſit legiſlator*, vel venera- „ tione digna: quod illa dederit præcepta, „ quę ego debeam inquirere. *Immo forte ſæ-* „ *pius in contrarium ad me talia diſcutere* „ *non pertinet*, *nec utile eſt*. *Sicut ſi jam* „ *excitetur dubium in aliquo*, *quo pacto ar-* „ *bores creſcant*, non peccat certo ulterius „ non inquirendo cauſam. Unde infertur „ non eſſe culpabilis in tali ignorantia, *et-* „ *iamſi fuerit vincibilis Phyſice*. “

VII. Quis hæc legere aut audire ſine horrore valet? Non omnis ignorantia vincibilis eſt culpabilis in genere morum? Non plus noſtra intereſt inquirere *ſit ne Deus*, ac quo modo arbores creſcant? Lege plura *loc. cit.*

VIII. R. P. Jacobus Platellius in *Synopſi curſus Theolog. par.* 2. *cap.* 3. §. 3. *n.* 189. expreſſe docet peccatum Philoſophicum his verbis. *Peccatum quantumvis graviter repugnans commiſſum ab invincibiliter ignorante*, *aut non advertente Deum eſſe*, *aut peccatis offendi*, *non eſt mortale*. *Cum enim nullum etiam virtualem Dei contemptum includat*, *ſtare poteſt cum caritate perfecta*, *& amicitia divina*. *Unde tale peccatum eſſet quidem grave gravitate Philoſophica*... *non tamen Theologica conſiſtente in repugnantia cum lege*, *& bonitate divina.*

IX. Cenſum claudat, ut plures alios prætermittam, famoſus Caramuel, de quo tu *Cl. Carpane* ſcribis *pag.* 161. *Sic ingenioſe de more argumentatur Caramuel contra adverſarios*. Audias ergo quomodo ingenioſe de more argumentatur in Apologia contra Fagnanum. „ Naſcitur Petrus: baptizatur „ antequam loqui ſciat: capitur a Barba- „ ris, in ſilvam inducitur, & *Atheiſmum* „ *poſitive docetur*. Ad uſum rationis perve- „ nit. *Poſſe invincibiliter Deum ignorare*, „ *Theologi nobiliores affirmant*. Moritur „ igitur, antequam ignoret vincibiliter Deum, „ & conſequens antequam committat pecca- „ tum mortale, licet *gravia multa contra* „ *lumen rationis committat*. Quo puerum „ D. Fagnanus mittit? Non ad infernum „ quia originali ille, & actuali mortifero ca- „ ret. *AD CŒLUM ERGO*. “

X. Nonne *Cl. Carpane* ingenioſa, & arguta eſt argumentatio iſthæc? Ad cœlum mittit Atheos? En quo tandem labuntur *Claſſici* iſti Doctores? Ne vero obtrudere queas me invidiam conflare Probabiliſmo, qui *Ignorantiſmum*, ſeu peccatum Philoſophicum damnatum ab Eccleſia peperit, vel illius eſt filius, audias velim doctiſſimum Jeſuitam Socium tuum, Patrem Ignatium de Camargo qui *par.* 1. *lib.* 2. *contr.* 4. *ar.* 6. *num.* 530. de ignorantiſmo Probabiliſtico hæc ſcribit. *Hic eſt ignorantiſmus* (*ideſt doctrina de ignorantiæ peccatis apud recentes Probabiliſtas*) *Probabiliſmi*, *neſcias*, *an parens*, *an alumnus*, *an filius*, *an comes*, *an germanus frater*. *Id certum eſt ſine illo PROBABILISMUM vivere non poſſe*, *ſed & illud certum præterea per illum* (*IGNORANTISMUM*) *fieri vulnus immedicabile*, *quia fit propemodum inſenſibile: & morbus inſenſibilis eſt incurabilis*, *ut olim ajebat Bernardus*. Hactenus inclytæ Societatis Theologus.

XI. Adeo ignorantiæ confinia amplificarunt Probabiliſtæ, ut pejerantes, blaſphemantes, mentientes ex conſuetudine, pravoque habitu nullo modo actu peccent, niſi aliquo modo advertant ſe peccare. Ignorantiſmus iſte Probabiliſticus vi juſti ratiocinii a peccato liberat Paganiſmum, Mahometiſmum, Judaiſmum, omneſque mundi ſectas, quæ quo obſtinatiores, eo minus ſe peccare advertunt. Et quia doctrinæ iſtæ favent humanis appetitionibus, immenſam ſibi conciliant multitudinem, & tam altas radices agunt, ut contradicentes ceu phanatici, & hæretici traduci a quibuſdam ſoleant. Et ne gratis hæc a me aſſeri quiſquam ſuſpicetur, audiant omnes quæ *lib.* 1. *controv.* 1. *ar.* 3. *num.* 22. *pag.* 13. narrat Jeſuita vere Sapientiſſimus P. Ignatius de Camargo. „ Sciat interim Lector, nos pau- „ cis

Digitized by Google

„ cis ab hinc annis *ad Sanctæ Inquiſitionis* „ *Tribunal ſemel & iterum* fuiſſe delatos „ (irritis tamen, Deo favente, noſtrorum „ Delatorum conatibus) eo quod e ſugge- „ ſtu in publica Concione propoſitionem „ hanc docuerimus. *Accidere aliquando po-* „ *teſt, ut quis non reputans, ſe peccare,* „ *immo potius exiſtimans obſequium ſe præ-* „ *ſtare Deo, graviſſime tamen delinquat.* „ Comperi enim ſub idem tempus a qui- „ buſdam Magiſtris *Probabiliſmi ſui* nimis „ amantibus, ſed non ita nimis callenti- „ bus, graviſſima cenſura notatam, & e „ publicis theſibus prælo mandandis deleri „ quoque juſſam hanc aſſertionem: *Non* „ *ſemper licitum eſſe agere ſecundum con-* „ *ſcientiam dictantem aliquid eſſe hone-* „ *ſtum, quantumcumque judicium certum* „ *appareat.* "

XII. En tibi patefactam radicem tot uſurarum, ſimoniarum, fraudum, iræ, vindictæ, voluptatum, ambitionis, faſtus, mollioris vitæ, blaſphemiarum, perjuriorum, aliorumque criminum. Probabiliſmo enim imbuti ab adoleſcentia, dum *Logicæ* ſtudent, Chriſtiani, diſcunt ſe non peccare, dum non *advertunt* ad peccati malitiam. Hoc autem *Neſcivi*, *Non adverti* poſt invectum Probabiliſmum obſtinatiores efficit Mercatores in uſuris, Menſarios in cambiis ficcis, Advocatos in dolis, Judices in ignorantia, Theologos in præſumptione, Confeſſarios in laxitate, opifices in fraudibus, divites in avaritia, mulieres in impudentia, in luxu, in vanitate, & in amaſiorum converſatione. Tandem hoc *neſcivi*, hoc *non adverti*, ſeu iſte *Ignorantiſmus Probabiliſticus* viam aperit ad omnem pravitatem honeſtandam.

§. XII.

Probabiliſtæ præceptum petendæ a Deo, & inquirendæ veritatis, vi ſui Syſtematis de medio tollunt.

I. Ignorantia cunctorum vitiorum mater. Pauci ſunt, qui ſcientes damnari velint. Probabiliſticum Syſtema eo unice tendit, ut libertatis humanæ jura extollat contra legem. In hoc unice laborat, ut opinionem minus probabilem, indulgentem libertati, adverſus legem propugnet. Veritatem in rebus controverſis nihili facit, ſed probabilitatem, quæ faveat hominum appetitionibus, ſummo habet in pretio, immo tanti pendet falſitatem, ac veritatem. Hinc mirum non eſt, ſi præceptum implorandi continuis precibus a Deo veritatis notitiam de medio tollat.

II. Verum enim vero, nihil frequentius in Scripturis, quam debitum inquirendæ veritatis. Graviſſimum enim vulnus ex peccato Originali nobis inflictum, eſt ignorantia, obſcuritas, & tenebræ. Quare ſicuti Divinam gratiam qua infirma voluntas roboretur, ita lumen cœleſte, quo mens illuſtretur, jugi oratione implorare aſtringimur. Pauca Scripturarum teſtimonia tranſcribam.

III. S. Jacobus Apoſtolus *c. 1. Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* David Propheta *pſal.* 118. clamat: *Doce me juſtificationes tuas. Revela oculos meos. Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Eccleſiaſticus c. 32. Qui timet Dominum excipiet Doctrinam ejus... Qui quærit legem, replebitur ab ea.* Ut innumera Divina teſtimonia prætercam, Chriſtus ipſe *Matt.* 7. jubet. *Quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.*

IV. Probabiliſtæ docent omnibus etiam obcæcatis gratiam dari ſufficientem in ſenſu Moliniano ad implenda præcepta Divina: Ergo concedant oportet, Deum conferre quoque gratiam luminis & cognitionis. Nec enim minus neceſſaria eſt una, quam altera. Neque reponas inter ipſos Sanctos Doctores varias fuiſſe ſententias; nam in iis quæ ad æternam ſalutem attinent, perquam rarum eſt inter eoſdem diſſidium. Ubinam quindecim ſæculorum intervallo volumina illa probabiliſtica controverſiis in utramque partem ſuper morali Evangelica pleniſſima?

V. Probabiliſtæ viam inſtituunt directe oppoſitam illi, quam Deus nobis patefecit. Non modo in ſuis libris non docent fundendas eſſe preces ad inveniendam legis divinæ veritatem, ſed contra opinionem quæ favet legi, rejiciunt, Rigoriſmi & Janſeniſmi eam accuſant, & opinionem quæ indulget libertati contra legem, præferunt. Nihil ad ipſos attinere de veritate inquirenda, ut Deus præcipit, aperte teſtantur, ut vidimus ſupra, clamantes ſatis illis eſſe probabilitatem. Ergo de medio tollunt præceptum Divinum orandi Deum, ut tenebras noſtras ſua divinæ veritatis luce diſſipet. Revolvantur præcipua Probabiliſtarum volumina *Terilli*, *Caramuelis*, *Sanchez*, *Dianæ*, *Tamburini*, *Eſcobarii*, *Caſnedi*, *La-Croixii*, & alio-

ratiorum, & nullibi invenietur iſtius præcepti inculcata obſervantia: nulla ad lectores exhortatio ut Deum precentur pro veritate obtinenda: Immo cum illis hoc præceptum obiicimus, vanis cavillis illud eludunt, & nos *Veriſtas* lepidiſſime appellant, ut legere quiſque poteſt apud Caſnedi *tom.* 2. *diſp.* XI. *ſec.* XI. *n.* 310. *& ſeq.* ut alias adnotavi, & repetendum ſæpius eſt. Verum ſi nos ſumus *Veriſtæ* ex proprio ipſorum ore, neceſſario conſequitur illos eſſe *Falſitas*, cum inter verum & falſum nullum detur medium.

VI. Heinc infertur recedendum omnino eſſe a *Via Probabiliſtica*, ut invenire poſſimus Divinam veritatem, & legem Evangelicam. Quandoquidem via Probabiliſtica abducit, & a veritate, & a lege. Via Probabiliſtica illa eſt, in qua duæ Probabiliſtarum acies mutuo diffidentes de peccato & non peccato, vitio & virtute diſputant, & utramque contrariam viam ad cœlum ducere contendunt. Pauca verba tranſcribo ex *R. P. Antonio Eſcobar* Doctore Claſſico, qui ſex volumina in folio de Theologia Probabiliſtica inſcripta *Problematicæ diſquiſitiones* edidit. Scribit autem tom. I. c. 3. pag. 4. *Quam immerito aliqui mærore afficiuntur, quod in re Morali tot diverſæ ſententiæ a Doctoribus exponantur: cum potius ſolatii materies accreſcat. Nam ex opinionum varietate jugum Chriſti ſuavius deportatur*. Rurſus pag. 6. n. 25. *Frequenter in problematibus unius Doctoris mens ſufficit mihi, ut opinionem probabilem eſſe conſtituam*. Iterum ibi n. 29. „ Ad hæc moverint problematum titulos pro aſpectu „ quandam veluti contradictionem obiicere. V. G. *eſt & non eſt: ſufficit & non ſufficit, poteſt & non poteſt*: excuſat & „ non excuſat: *infert & non infert:* Hujuſmodi contradictionum ſpeciem, non facit mea ſentiendi inconſtantia, ſed Auctorum *probabiliter* opinantium diverſitas: unde ſic ſemper propoſitio illa, quæ „ contradictionem importare videtur, ſeparanda tibi. *Eſt, ſufficit, poteſt, excuſat*, „ *infert* ex aliquorum ſententia: *Non eſt*, „ *non ſufficit, non poteſt, non excuſat, non* „ *infert ex aliorum opinione*. “

VII. Ut hanc ſuam Pyrhonicam & Scepticam Theologiam luculentius pro praxi confirmaret R. P. Antonius Eſcobar, Summam Theologicam ex ſex ſuis voluminibus in folio contraxit viginti quatuor Seniorum auctoritate fultam. Alii pro *eſt*, pro *ſufficit*, pro *poteſt*, pro *excuſat* pugnant: Contra alii pro *non eſt*, pro *non ſufficit, pro non poteſt, pro non excuſat* belligerant. Niſi mea me fallat opinio, recta hæc doctrina pugnat cum Evangelio. *Unus eſt Magiſter veſter*, inquit S. Matth. c. 23. & S. Paulus Rom. 15. *Deus autem det vobis idipſum ſapere*. Et rurſus ad Philip. *Deprecor idipſum ſapere in Domino*. Ergo antichriſtiana eſt Theologia illa, quæ pugnantes Magiſtros, & contradictorias Doctrinas pro morum norma conſtituit: *eſt, & non eſt* uſurarius contractus: *poteſt, & non poteſt: ſufficit, & non ſufficit* &c. Una fides, unum baptiſma, una eſt doctrina morum. Sibi contrarius non eſt Magiſter Divinus & Legislator Chriſtus. Ex imbecillitate noſtra opinionum contrarietas ſive fidei, ſive morum proficiſcitur. Jugi oratione precari Deum debemus, ut veritatem, quæ una eſt, nobis manifeſtet. Manifeſtabit autem, niſi malitia noſtra obſiſtat. Ergo luce meridiana clarius eſt, recedendum eſſe a *via Probabiliſtica* contradictoriis doctrinis circumvallata, ſi unicam Evangelicam morum legem invenire cupimus. Confirmant hanc veritatem innumera exempla. Nonne nautæ ſecuriorem navigationem ſeligunt? & in navigatione æternitatis viam minus probabilem, minus ſecuram præeligendam docent Probabiliſtæ, ac ſi a figmentis Caſuiſtarum penderet ſalutis via? Nonne in mercatura, in connubiis, in bellis, in corporum cura incertitudinem quoad fieri poteſt, homines prudentes fugiunt? Sed hæc ab humana mente non pendent, tricantes reponunt Probabiliſtæ. Numquid Moralis Evangelica eſt humanæ mentis figmentum? Et mercatura, & navigatio, & bella, & ægrotorum cura ab humana mente pendent. Si mens errat, ruina ſuccedit. Navigatio Chriſtiana humanæ mentis applicatione indiget. Si mens erret, per errorem contrarium æternæ legi nunquam ad portum perveniet. Si debita præceſſit diligentia in exquirenda veritate, error culpæ non imputatur. Probabiliſtæ non modo ad evitandum errorem neceſſariam non adhibent diligentiam, ſed majori lumini pandenti majorem acceſſum ad veritatem obfirmate oculos claudunt, ut libertati, & humanis deſideriis lenocinentur, quia inquit R. P. Eſcobar per has contradictorias Doctrinas jugum Chriſti levigatur. Quare jure exclamat *lib.* 8. *q.* 8. §. 2. Sapientiſſimus Jeſuita P. Michael Elizalde, ſe legiſſe Summam Moralem multorum voluminum, & exclamans ait: *Quæſivi Chriſtum, & NON erat. Quæſivi ſummam Prophetarum, & Legis;*

gis; ſcilicet caritatis, & dilectionem Dei, & proximi, & NON erat. Quæſivi Evangelium, & NON erat. Quæſivi humilitatem, ſine qua ſalvatur nemo, & NON erat.

VIII. Alio argumento evinco recedendum eſſe a via probabiliſtica, ut æternæ ſalutis via inveniatur. Catholici omnes adfirmant extra Eccleſiam Romanam neminem poſſe ſalutem conſequi æternam. Mahumetani, Lutherani, & plures alii Sectarii concedunt nos Catholicos fieri in noſtra Religione ſalvos poſſe. Ex qua conceſſione ſic argumentantur Catholici. Temeritatis & ſtultitiæ plena res eſt in æternæ ſalutis negotio negligere viam, quæ juxta omnes certa eſt, ut alia eligatur certitudo, & ſecuritas quæ ſaltem in quæſtione eſt. Ergo temeritas & ſtultitia manifeſta eſt Religionem reſpuere, in qua juxta omnes obtineri ſalus æterna poteſt, ut altera eligatur de qua eſt controverſia, utrum in eadem quiſpiam ſalvus eſſe poſſit. Tranſeo ad Probabiliſmum. Juxta omnes, & Probabiliſtas & Antiprobabilitas via veritatis, & probabilior eſt via ſecurior & tutior. Antiprobabiliſtæ contra defendunt, viam probabiliſticam eſſe viam perditionis, quamquam Probabiliſtæ id negent. Ergo adverſarii, aut repudiata via probabiliſtica in noſtram immigrare ſententiam aſtringuntur, aut repudiare ut nullam Catholicorum argumentationem contra Sectarios. Quid hiſcere Probabiliſtæ valeant, non video. In controverſiis de Religione, dimiſſis incertis, certa amplecti tenemur. Ergo idem in cauſa morum. Nec minoris periculi eſt in una, ac in altera cauſa incertitudo. Nihil reponere Probabiliſtæ valent, quod tricari Lutherani & Sectarii nequeant.

§. XIII.

Syllogiſmus Probabiliſticus, quo unice ſuſtinetur Syſtema Probabiliſticum, eſt ineptiſſima argutatio.

I. EN Syllogiſmum probabiliſticum: *Licet ſequi opinionem vere & practice probabilem. Sed opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris eſt vere & practice probabilis. Ergo licitum eſt eam ſequi.* Secunda propoſitio eſt evidenter falſa. Quomodo illam defenditis o Probabiliſtæ? Innititur validis rationibus. Hoc eſt aperte falſum. Ratiunculæ iſtæ ſunt nugæ, & nubeculæ. Quomodo evincitis eſſe validas & ſolidas? Quia Claſſici Doctores Probabiliſtæ ut validas & ſolidas eaſdem recognovere. Doctores iſti apertiſſime errarunt. Quoniam in rebus obſcuris, & incertis, id ſolum, quod apparet veroſimilius, & probabilius poſt accuratum examen, ſolidum & validum eſt. Rationes minus probabiles vanæ ſunt, & ineptæ. Hic, ut piſces obmuteſcunt Probabiliſtæ: neque enim niſi tricas obtrudere valent.

II. Dictum ſupra eſt, intellectum æqualis probabilitatis ponderibus preſſum non poſſe in alterutram partem inclinare: Probabiliſtæ ajunt voluntatem digito ſui imperii cogere intellectum in partem tuæ libertati favorabiliorem. Quam ſit hæc reſponſio communi ſenſui adverſa, jam oſtenſum eſt. Nunc vero fortius urgeo argumentum. Nam majori veriſimilitudini ſeu probabilitati reipſa animus aſſentitur, ſicuti majori pondere libræ lances deprimuntur. Ergo, ut ab hoc aſſenſu intellectus retrahatur, & ad minorem probabilitatem detorqueatur, robuſtiori imperio, & fortiori voluntatis digito inclinari & cogi debet. Nam ex intimo & directo conſcientiæ aſſenſu intellectus fertur natura ſua in majorem probabilitatem. Objectum enim intellectus eſt veritas. Ergo in illam ſententiam fertur mens noſtra, in qua majorem veriſimilitudinem videt. Contra conſcientiam igitur aſſentitur minus probabili. Continenter repetunt hanc cantionem: Licitum eſt ſequi opinionem practice & ſolide probabilem. Verum habet: Sed negamus, & pernegamus opinionem minus probabilem in conſpectu probabilioris eſſe practice probabilem. Probabilitas hæc chimærica eſt. Sed Doctores Caſuiſtæ docent hanc practicam probabilitatem. Repono, Doctores iſtos Caſuiſtas deceptos eſſe, & evidentiſſime errare, atque ſcientes & volentes venenum falſitatis propinare Chriſtianis, cum propugnent licitum uſum duplicis doctrinæ contradictoriæ. Quid habes quod reponas?

III. Reflexiones, quas Probabiliſtæ confingunt, ut hanc patentiſſimam veritatem obſcurare, & implicare pertentent, ſunt mera figmenta humanæ mentis, quæ imperitis facere fucum valent, at nullo modo principium hoc firmiſſimum, vel tantillum dimovere loco ſuo queunt.

IV. Hic ſerio animadvertas lector velim, Probabiliſtas eo ſtudia ſua dirigere, ut mentem humanam, quæ tota eſt propter veritatem, ab hac ſua naturali inclinatione detorqueant: reflexionum præſtigia machinantur: in Deo arbitrarias leges conſequentes pro-

proprio cerebro fabricant, jura omnia pervertunt, ut amatum Probabiliſmum propugnent. Te poſſe varios adire Doctores aſſerunt, donec tandem unum invenias, qui tibi faveat ſecundum opinionem probabilem. Et ad Doctores quod attinet R. P. Thomas Sanchez *lib. 1. in decal. c. 9. n. 20.* inquit. *Poterunt modo juxta unam, modo juxta contrariam opinionem conſulere: quamvis melius ſit juxta eamdem, & maxime in ſcriptis, ne varii deprehendantur. At hæc varietatis deprehenſio poteſt facile vitari, ſi conſulens ſive verbo ſive ſcripto aſſerat, quamvis contraria opinio probabilior ſit, hanc quoque tamquam probabilem poſſe tuto amplecti.* Bilingues ergo ſua propria confeſſione & duplices Probabiliſtæ ſunt. An in hæc doctrina Evangelica ſinceritas relucet? An hæc ſapientia Chriſti, & non carnis potius? Confeſſarium teneri abſolvere pœnitentem, qui contra ſententiam Confeſſarii opinionem ſequitur probabilem, etiam liberantem a reſtitutione, docent Probabiliſtæ: & ſic judices pœnitentes in ſacro Tribunali conſtituunt. Infinitus eſſem, ſi recenſere omnia illorum Paradoxa vellem. Vale.

EPISTOLA QUINTA.

ARGUMENTUM.

Sophiſmata Probabiliſtica, & paradoxa inaudita quæ tu Cl. Carpane *ſcribis in tertia Diſſertatione ſub examen revocantur.*

§. I.

I. QUÆ Diſſertatione tertia promis *Cl. Carpane*, ut opinionem minus probabilem in conſpectu probabilioris defendas, paucis perſtringam, miſſis prolixis ambagibus, quibus veritatem uſquequaque circumvenis. Prima, quam adducis rationem, te ignorare quæſtionis ſtatum evincit. Et ne tibi imponere videar, verba tua exſcribo. „ Niſi liceret (inquis §. 2. pag. 95.) ſequi opinionem minus probabilem pro libertate, operanti incumberet onus comparandi inter ſe in rebus moralibus incertis contrarias opiniones Auctorum, ac decidendi quænam ſit probabilior, quænam minus probabilis: quod non ſolum difficillimum eſt hominibus mediocri ingenio, & in morali diſciplina mediocriter verſatis: ſed etiam hominibus alacri ingenio præditis, & in Morali diſciplina verſatiſſimis.“

II. Hæc eſt mera verborum congeries. *Niſi liceret ſequi opinionem minus probabilem pro libertate &c.* Et quomodo ſcis opinionem eſſe minus probabilem, niſi tibi comperta ſit oppoſita magis probabilis? In ipſo itaque diſputationis limine nimis craſſe aberras. Deinde ſtatum controverſiæ implicas. In rebus morum incertis quiſque quod veriſimilius, ſeu quod magis veritati accedere judicat, amplecti debet. Quid habes quod opponas? Diſputatur poſtea, num quando Theologo, morum controverſias expendenti, occurrunt in rebus incertis duæ opiniones, quarum una ſit probabilior, altera minus probabilis, prima ſit præferenda poſteriori? Ubinam onus revolvendi Caſuiſtarum volumina, & comparandi Auctorum opinationes? Lex divina ſimplex eſt, ſuaveque jugum. Sat eſt, ut Chriſtianus in æternæ ſalutis dubitationibus eam adhibeat diligentiam, quam vel in graviſſima corporis infirmitate, vel in maximo rei temporalis negotio præſtare ſolet. Numquid in his homo prudens probabiliora non præfert minus probabilibus, & veroſimiliora minus veroſimilibus, & certiora minus certis? Hæc obvia ſunt, & perſpicua. Probabiliſtæ dumtaxat cavillationibus obſcurare, & in diſcrimen adducere hanc obviam veritatem queunt.

§. II.

III. OPponis §. 3. *p. 97.* „ Juxta opinionem certo ac practice probabilem pro libertate etiam in conflictu opinionis probabilioris pro lege prudenter operamur. „ Non prudenter, ſed imprudentiſſime operamini. Opinio minus probabilis comparata in rebus incertis ad opinionem probabiliorem, nulla fruitur probabilitate practica, quæ dirigere operationem moralem valeat. Sed movemur, ſubdis, gravibus rationum momentis: *nec obſtat quod opinio pro lege ſit probabilior.* Hic totum cubat arcanum. Hæc lex, quæ carnem com-

primit, quæ appetitiones coercet, faſtidium, & moleſtiam parit: Idcirco promoventur doctrinæ, quæ libertati favent, & appetitionibus indulgent. Inſiſtis. *Sicuti bene & honeſte operamur quod nobis hic, & nunc proponitur tanquam bonum & honeſtum, licet non operemur, quod ſimul proponitur ut melius & honeſtius: ita prudenter operamur id, quod per graves rationes nobis proponitur tanquam prudenter operabile, licet non operemur id, quod ſimul per rationes mediocri exceſſu graviores proponitur tanquam prudentius operabile*. Tu dum hæc tricando obtrudis, rei ſcholaſticæ peritiam jactas & juſtam, ratiocinandi formam oſtentas? In hac cavillatoria argutatione fit tranſitus de genere uno ad aliud diverſum. Quod eſt abſolute bonum, licite amplectimur, nec exequi quod melius & honeſtius eſt, aſtingimur, niſi conſilii vi. Et Tu Cl. vir ab hoc genere abſolutæ honeſtatis ad genus incertitudinis tranſgrederis? Nonne diſputatio noſtra eſt de rebus incertis & dubiis, in quibus veritas certo non apparet? Quid ergo obiicis abſolutam honeſtatem comparatam ad id, quod perfectius, ut heinc inferas in dubiis morum controverſiis præferendam eſſe opinionem minus probabilem probabiliori? His verſutis fulcris, & verborum ambagibus Probabiliſmus indiget, ut penes imperitos conſiſtat. Quod ibidem allegas ex Joanne a S. Thoma, prætereo, ut rem ineptam, & aio S. Thomam Aquinatem baſilice Probabiliſmum damnare.

§. III.

IV. TErtiam rationem in defenſionem Proprobabiliſmi allegas §. 4. pag. 100. ubi ſic cavillaris. „ Non eſt cur poſſimus licite ſequi opinionem probabiliorem pro libertate, ſecus vero minus probabilem. *Utramque igitur ſequi poſſumus*. Conſequentia (N. B.) eſt certa. Propoſitio antecedens probatur primo, quia utraque eſt certo, ac pratice probabilis, & ſub utraque concipi poteſt hoc ultimum dictamen practicum moraliter certum. Poſſum prudenter, atque adeo licite operari, quod prudenter & ex gravibus rationum momentis judico eſſe mihi hic, & nunc licitum. Secundo quia utraque eſt expoſita periculo peccati materialis: *utraque enim poteſt eſſe falſa*.

V. Audiſtin? *Utraque poteſt eſſe falſa*? Contractus trinus eſt uſurarius: Contractus trinus non eſt uſurarius. Cenſus perſonalis eſt fenebris: Cenſus perſonalis non eſt fenebris. Hic pœnitens pravis habitus irretitus eſt capax abſolutionis ſacramentalis: hic pœnitens non eſt capax abſolutionis ſacramentalis. Ambæ propoſitiones poſſunt eſſe falſæ? Præfectus ſtudiorum Collegii Romani tam inauditum paradoxon publicis typis evulgare non reformidat? Talia ne docent Logicæ Profeſſores tuo regimini ſubiecti? Ut Probabiliſmum propugnes, prima principia omnibus Paganis, Chriſtianis, & communi ſenſu præditis compertiſſima, atque inconcuſſa de medio ſubmoves, & exterminas? Nonne lex contradictionis eſt, ut ambæ propoſitiones aut veræ aut falſæ eſſe ſimul nequeant? Sed ſi una vera eſt, altera falſa ſit neceſſum eſt. Divina Providentia juſte permittit, ut Probabiliſtæ in tam craſſos errores prolabantur, ne vel ipſi imperiti æternæ ſalutis avidi ſeductioni obnoxii ſint. Utraque eſt certo & practice probabilis? Hoc eſt aliud commentum Probabiliſticum. Si enim una probabilis eſt, altera improbabilis ſit oportet. Quemadmodum ſi una vera eſt, neceſſario conſequitur alteram falſam eſſe.

§. IV.

VI. „ TErtio (inquis) quia axiomata petita ex jure Canonico puta: *Tutior pars eſt eligenda*; *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*, & quæcumque alia manifeſte retorquentur ad probandum nos non poſſe licite ſequi opinionem probabiliorem pro libertate, cum etiam ſit incerta, & minus tuta a peccato materiali, a quo tutior eſt, immo unice tuta eſt opinio pro lege. “

VII. Cum nihil habeas, quo præfata juris Canonici axiomata eludere queas, eadem in contrariam ſententiam retorquere tabularum more ſtudes, ut verborum involucro miſceas quadra rotundis. Lex Divina eſt lex, non tutioriſmi, vel tutioris, ſed lex *veritatis*. Id quod verum eſt, ſequi cogimur, quia quod verum ſimul & tutum eſt. Porro graviora rationum momenta urgere mentem poſſunt, ut judicet probabilius eſſe legem non obſtringere in hoc aut illo caſu conſcientiam. Sicuti autem cum veritas clare emicat, miſſo tutioriſmo, eamdem amplecti tenemur: ita quoque cum id, quod magis veritati accedit, poſt maturum examen nobis apparet, illud eligendum incumbit, quia quod veroſimilius eſt, tutum pariter exiſtit. Tunc ſolum, quod tutius eſt eligere cogimur, quando ancipi-

tes

Digitized by Google

tes & dubitantes ſumus, & utrinque æqualia rationum momenta urgent, ut juris canonici axiomata præſcribunt. Tu contra cum tuis Probabiliſtis, non modo fluctuaris inter utramque partem, verum etiam cum ex altera parte graviores, & veroſimiliores rationes apparent, eaſdem reſpuis, ut quod minus veroſimile, minuſque probabile eſt, ſeligas, contempto juris Canonici axiomate. Subdis ibidem. *Quid quod laxitatum periculo ſunt magis expoſitæ opiniones probabiliores*. Et dum nos tam venuſta commenta ſibilis, & riſu excipimus, vos Probabiliſtæ iraſcimini? Doctrina, quæ propinquius veritati accedit, laxior eſt doctrina, quæ longius a veritate recedit? Hæc ſunt illa interpretamenta bella, quæ decidenda jure nos propinamus. At loquor, inquis, de probabilitate reſpectiva. Numquid probabilitas abſoluta regula proxima eſt operationis honeſta? Ipſa lex Divina in ſe norma remota eſt, & ut proxima regula fiat, applicari per conſcientiam debet. Studiorum Præfectus paſſim ſe ignorare vel ipſa prima controverſiæ elementa perhibet. Concludis, adductis quibuſdam verborum jocis, his verbis: *Sic ingenioſe de more argumentatur Caramuel contra adverſarios*. Ingenioſe de more inaudita laxitatis paradoxa *Caramuel* promovet. Et iſte eſt S. Eccleſiæ Pater, unde tuam hauſiſti doctrinam. Quare mirari minime debemus, ſi ex turbida lacuna rivuli manant fœculenti.

§. V.

VIII. A Deo lepida ſunt quæ ſcribis §. 5. *pag.* 102. ut plura tranſcribere velim. „ Ideo ſequens opinionem minus pro-„ babilem pro libertate, non operaretur pru-„ denter, atque adeo licite, vel quia ſe-„ queretur opinionem magis expoſitam fal-„ ſitati, vel quia lex prohibens quæ propo-„ nitur operanti per opinionem probabilio-„ rem, prævaleret libertati operantis. Sed „ primum non obſtat: alterum eſt omnino „ falſum. Non obſtat primum, quia ita eſt „ magis expoſita falſitati, ut ſit probabili-„ ter vera, ſolida, certaque probabilitate, „ utpote innixa validis rationibus, gravi-„ buſque fundamentis, quod plane in rebus „ Moralibus incertis ſatis eſt ad pruden-„ ter operandum. Quod vero opinio pro „ lege ſit mediocri aliquo exceſſu probabi-„ lior, atque adeo ſit quidem expoſita fal-„ ſitati, ſed aliquanto minus expoſita, ni-„ hil evincit, cum ex hoc ſolum inferatur „ tam ſequentem probabiliorem, quam ſe-„ quentem minus probabilem prudenter ope-„ rari, *ſed unum prudentius altero: ſicuti* „ *ex eo quod unus ponat actum amoris Dei* „ *ſuper omnia: alius actum miſericordiæ* „ *erga pauperem: infertur utrumque hone-* „ *ſte operari, ſed unum honeſtius altero*. „ Quod ſi forte contingat, ut opinio minus „ probabilis falſa ſit, eam ſequens errat „ quidem, ſed invincibiliter. “

IX. Noli excandeſcere Carpane Pater, ſi dixero, te verborum aggeſtu & barbara loquendi ratione veritatem circumvenire, & involvere, ſed infelici ſane conatu. Et primo rurſus controverſiæ ſtatum te penitus ignorare evidentiſſime perhibes. Comparas ſiquidem opinionem minus probabilem actui miſericordiæ erga pauperem: & opinionem probabiliorem actui amoris Dei ſuper omnia. Comparatio hæc ineptiſſima eſt, ex cauſæ ignorantia proficiſcens. Amor Dei ſuper omnia, & miſericordia erga pauperem ſunt actus abſolute, & extra diſputationis aleam, veri, boni, & honeſti, licet unus ſit perfectior altero. Et tu ab hoc genere apertæ veritatis, & certæ bonitatis tranſgrederis ad genus incertitudinis & obſcuritatis, ut ex luce tenebras colligas. Cum morum regulæ incertæ ſunt & obſcuræ, id dumtaxat quod propius veritati accedere dignoſcitur, eſt honeſtæ operationis norma; quod autem longius a veritate abeſſe judicatur in quocumque gravi negotio, ut vanum rejicitur. Hæc perſpicua ſunt & pervia. Tu contendis utramque opinionem & probabiliorem & minus probabilem ſolida & certa probabilitate inſtructam eſſe. Sed mirifice falleris. Quandoquidem cum ſint opiniones contradictoriæ de eadem omnino re, ſicut ambæ veræ eſſe nequeunt, ita nec ambæ vera & ſolida probabilitate frui valent. Sed id admirationem auget, quod nullam producis rationem, qua utriuſque probabilitatem veram ſolidamque evincas. Fateris Probabilioriſtam *prudentius Probabiliſta operari*, quamvis paulo antea dixeris, doctrinam probabiliorem periculo laxitatis magis eſſe obnoxiam. Sed hoc ſemper afflictæ cauſæ defenſoribus accidit, ut propriis ſe ſe conficiant antilogiis. Subdis *errorem* ſequentis opinionem minus probabilem eſſe *invincibilem*. Ita ne vero? In rebus obſcuris rejicis majus lumen, ut ſeligas minus, & error erit invincibilis? Hæc eſt chimæra chimærarum. Quid eſt ignorantia invincibilis? Illa, quæ omni adhibita diligentia, & divino auxilio implorato ſuperari non poteſt. Pro-

Probabiliſtæ in obſcuriſſimo æternæ ſalutis negotio reſpuunt obfirmato animo quod veroſimilius, quod probabilius certo agnoſcunt, ut præferant quod minus veroſimile, quod minus probabile fatentur: Et ſi errant, invincibilis & inſuperabilis error erit? Hoc eſt monſtrum inauditum, quod omnes communi ſenſu præditi exhorreſcunt. Sed qua ratione oſtendis, errorem eſſe invincibilem? Quia occurrunt rationes probabiles? At in conſpectu probabilioris doctrinæ, vanæ rationes iſtæ ſunt & ineptæ. Qua ſinceritate oſtentare audes, te omnem adhibuiſſe diligentiam, ut errorem ſuperares, ſi, rejecta doctrina, quam ipſe propinquius veritati accedere cognoſcis, ſeligis contrariam quam minus veroſimilem fateris? Vel ipſum vulgus ſcandalum patitur, dum tam abſona paradoxa audit. Repetis ibidem: *Multa falſa eſſe probabiliora veris, juxta commune adagium ex Ariſtotele deſumptum*. Quid heinc? Rejicienda ergo vera doctrina, ut falſa ſeligatur? Dignum Probabiliſmo axioma, aptumque patella operculum. Quod interdum falſitas ita fucari, maxime penes imperitos, queat, ut ipſa veritate probabilior appareat, propterea ne Probabiliſmus eſt recta morum regula, & præferri falſitas veritati debet?

§. VI.

X. NON minus implexa & ſtrigoſa ſunt, quæ infarcis §. *VI. pag.* 204. Cl. Carpane, quam fuerint ea quæ nunc refutavi. Tædet magnopere eadem reſcribere; verum, ut Lectores judicent, quam futilia ſint fundamenta, quibus ſuſtinere Probabiliſmum fatagis, ſuperandum tædium eſt, & exſcribenda verba tua. „Lex (inquis) quę „ proponitur per opinionem probabiliorem, „ eſt lex incerta, cum opinio per quam pro- „ ponitur, quantumvis mediocri aliquo ex- „ ceſſu probabilior, ſit fallibilis, & incer- „ ta: libertas autem operantis ad omnes u- „ ſus, de quorum prohibitione, eſt libertas „ certa, cui non prævalet lex incerta, eo „ ferme pacto, quo legi certæ non præva- „ let legis exceptio incerta, ut late pro- „ bat Joannes a S. Thoma &c.“

XI. Homo naſcitur ſubjectus legi naturali & divinæ; idcirco lex poſſidet contra libertatem humanam, non libertas contra legem naturalem, & divinam. Quare, dum judicatur probabilius eſſe, legem obligare, non eſt cur homo ab implenda lege eximere ſe valeat. Lex poſſidet contra libertatem, cum prior libertate lex naturalis & divina ſit. Et ex hoc capite, melior eſt conditio poſſidentis. Accedunt graviores rationes, quæ oſtendunt probabilius eſſe, quod lex aſtringat. Ergo nullo titulo liberari a legis onere homo poteſt. Non ne in pari caſu melior eſt conditio poſſidentis? Huic poſſeſſioni accedunt graviores rationes, quæ favent legi contra libertatem. Ergo evidens eſt, libertatem ſubjectam eſſe legi. Utique evidenter certa non eſt lex propoſita per ſententiam probabiliorem: quoniam ſi evidens lex eſſet, nulla ſerveret inter Theologos diſputatio. At ea major, & probabilior certitudo legis elucet, quæ haberi in rebus controverſis poteſt. Quamobrem falleris, & quidem baſilice, *Cl. Carpane*, dum aſſeris contra legem probabilius propoſitam *libertatem eſſe certam*. Hic quippe eſt maniſeſtiſſimus error. Unde evincis libertatem eſſe certam in conſpectu legis poſſidentis, & gravioribus rationum momentis inſtructæ? Nec ſophiſma, nedum rationem aliquam promis. Loco principii primi conſtituis libertatis certitudinem contra legem poſſeſſionis titulo & rationibus probabilioribus munitam? Hæ ſunt Probabiliſtarum argutationes, quæ ſi conſiſterent, magna Decalogi pars in ſumum recideret. Nam Probabiliſtarum Doctores plures, & quidem *Claſſici* primum graviſſimumque mandatum amandi Deum, alii docent nunquam per ſe obligare, alii defendunt urgere tantum in articulo mortis, alii intra quinquennium, alii intra biennium. Quid de ſuperſtitionibus invectis contra alterum mandatum colendi Deum: quid de deſideranda Patris morte contra quartum: quid de homicidio calumniatorum, & de duello contra quintum: quid de tactibus mamillaribus contra ſextum: quid de compenſatione occulta contra ſeptimum: quid de falſo teſtimonio, & de reſtrictionibus mentalibus contra octavum dicam? Doctores Claſſici Probabiliſtæ non pauci in controverſiam adduxerunt hęc & alia Decalogi mandata. Lex controverſa, licet probabilius propoſita, eſt incerta: libertas certa, ut tu aſſeris: ergo hęc mandata Decalogi in gravioribus punctis non obligant. Huc malorum ſponte ſua corruit Probabiliſmus, & præcepta luculentiſſima in diſputationem adducit.

§. XII.

§. VII.

XII. Argumentaris tandem Studiorum Præfecte §. 7. *pag.* 106. ab abſurdo his verbis. „ Quarto eadem noſtra aſſertio ſuadetur ex aliis pluribus abſurdis, „ quæ ſequerentur ex contraria adverſariorum ſententia. Nam primo Theologi quamplurimi pietate ac doctrina præſtantiſſimi, „ immo Accademiæ Catholicæ, & integræ „ Univerſitates impugnaſſent veritatem aliquam, quæ eſt primum generale principium juris naturæ, quo dirigi oporteret „ homines in rebus moralibus incertis, ne „ ſine regula, extra rectæ rationis, atque „ adeo extra ſalutis æternæ viam miſerrime vagarentur: quod aſſerere de *Claſſicis* „ *Auctoribus*, quorum doctrina plurimi fit „ in Eccleſia Dei, & eſt illis injurioſum, & „ iis, qui eorum libros approbarunt: imo „ etiam Summis Pontificibus, qui eorum „ ſententiam taciti diſſimularunt. “

XIII. Quinam ſunt, amabo te, hi *Theologi doctrina ac pietate præſtantiſſimi?* Sunt Caramuel, Diana, Zanardi, La-Cruz, Veracruz, Bonacina, Sanchez, Tamburinus, Moya, Eſcobarius, Terillus, Viva, La-Croix, & plures ſimiles. Sed iſtorum opera ſcatent pluribus propoſitionibus damnatis, & laxis, damnandiſque, & aliquorum iſtorum libri proſcripti ſunt. Fuerint per me licet pietate præſtantiſſimi, cujus rei Deus ſolus judex eſt, illorum doctrina Probabiliſtica tamen falſa, laxa, & vi juſti ratiocinii antievangelica eſt, & omnium malorum fons, & caput, ut Clerus Gallicanus declaravit. Quænam hodie ſunt iſtæ Univerſitates, quæ doceant Probabiliſmum? Deſigna eas. Erunt Grecencenſis, Ingolſtadienſis, Delingana, & aliæ in Germania, quas moderantur Jeſuitæ. Sanctitate, & doctrina Doctorum Probabiliſmi fucum facere imperitis conaris? Etiam R. P. Sanvitale cum radiis depictus prodiit, & publicis typis edi miracula tentatum eſt: Quænam vero fuerit illius animi moderatio & doctrinæ veritas, ejuſdem libri patefaciunt. Iſtorum autem doctrina *plurimi fit in Eccleſia Dei?* Unde id colligis? Qua ratione id evincis? Conciliorum, Patrum, & Doctorum Sanctorum, quos Romana Sedes tales declaravit, doctrina plurimi fit in Eccleſia Dei. Doctrinam Probabiliſticam non modo plurimi non facit Eccleſia Dei, ſed eam Romana Sedes ſub Alexandro VII. alienam a ſimplicitate Evangelica, a Doctrina SS. Patrum, atque corruptelarum radicem eſſe perhibuit. Quid plura? Eam, & in materia Sacramentorum, & in rei temporalis litibus decidendis, & in aliis capitibus damnavit, exterminavitque. Et tu *Cl. Carpane* aſſerere non erubeſcis hanc doctrinam *plurimi fieri in Eccleſia Dei?* Adiicis ibidem: *Deinde animarum Directores in tales redigerentur anguſtias, ut de ſatisfaciendo muneri ſuo penitus deſperarent.* A creatione Mundi igitur, & ab adventu Chriſti Domini uſque ad decimum ſextum ſæculum, quo declinante e tenebrarum caligine irrepere paulatim incognitus univerſæ antiquitati Probabiliſmus cœpit, animarum directores de implendo proprio munere penitus deſperarunt? Non deſperarunt animarum Directores ante funeſtum Probabiliſmi ortum, ſed tranquille conſcientias moderabantur, & in rebus incertis, dubiis, & controverſis id implendum ſemper præſcripſerunt, quod veroſimilius, & probabilius poſt maturum examen apparebat. Regula hæc ſimplex & perſpicua eſt, quam, & rei politicæ conſultores, & judices in tribunali, & ceteri homines communi ſenſu præditi in quibuſvis negotiis adhibent. Ut hanc tutam normam implicarent Doctores Probabiliſtæ, verborum ſæpe nihil ſignificantium, diſtinctionum, ſubdiſtinctionum, & & reflexionum ſpiſſa volumina conflarunt: & legem Dei, quæ ſimplex & ſplendida eſt, litigioſam & cavillatoriam reddidere. Repetis §. 7. pag. 107. *Quod ſi dicas ſatis eſſe, quod ipſis videatur probabilior opinio, qua hic & nunc utuntur: contra eſt, quia hæc major probabilitas eſt fundamentum leve, & inſtabile*: Recte & bene more tuo. Si major probabilitas eſt fundamentum *leve & inſtabile*: Ergo minor probabilitas erit fundamentum leviſſimum, ineptiſſimum, vaniſſimumque. Conſequentia neceſſaria eſt. Quæ ibidem agglomeras, prætereo, ut ſuperflua, quia omnia revocantur in deſcriptum axioma ſane lepidiſſimum. Quæ vero ſcribis §. 9. *pag.* 109. ex iis, quæ jam ſupra dixi, convulſa remanent. Eo enim revocantur omnia, ut opinio minus probabilis in conſpectu probabilioris ſit practice probabilis. Hoc autem ſæpius dixiſti, nulla adducta probatione. Quandoquidem in rebus controverſis id unice probabile eſt, quod veroſimilius & probabilius apparet. Nonne ſi ipſa veritas tibi evidenter appareret, ipſam amplecti aſtrictus eſſes? Ergo eadem ratione teneris id ſequi, quod cognoſcis propinquius veritati accedere. Hæc pervia ſunt, quæ nulla probabiliſtica cavillatione eludi queunt.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

XIV. Ratio, quam §. 10. *pag.* 111. allegas, eſt omnium lepidiſſima, & mirifica. Ais enim: „ Sexto & ultimo „ eadem aſſertio ſuadetur. *Ex communi Auctorum conſenſu, ſi paucos Auctores Catholicos excipias.* De Janſeniſtis non curo, qui ſimulato moralis diſciplinæ rigore, clanculum ſibi viam ſternunt ad impie docendum aliqua Dei præcepta eſſe obſervatu impoſſibilia hominibus per vires, quas actu habent, qua arte, qui eſt vetuſtiſſimus hæreticorum mos, male cautis fucum faciunt. Primo itaque ex antiquis Auctoribus fere omnes noſtram docuerunt ſententiam. Paucos in medium profero. Petrus Navarrus &c. "

XV. Hac patentiſſima falſitate commentum Probabiliſticum propugnare audes? Nullo pudore tangeris talia evulgando? *Si paucos recentiores Auctores Catholicos excipias.* Pauci ne Auctores Catholici ſunt univerſus Clerus Gallicanus, qui allegata auctoritate Concilii Viennenſis, & Alexandri VII. Probabiliſmum in Comitiis Generalibus anno 1700. damnavit tamquam omnium corruptelarum caput, & malorum originem? Producito vel unum Doctorem Gallum, qui a medio & amplius ſæculo in univerſo illo vaſtiſſimo Regno Probabiliſmum defenderit: Innumeri vero ſunt, qui eumdem labefactarunt. Nonne univerſi Galliarum Scriptores prævalent millenis Caſuiſtis, quorum plurimi nullius nominis ſunt? Pauci ne ſunt *Auctores Catholici* Benedictini, Auguſtiniani, Carmelitæ, Dominicani Theologi, qui ab integro ſæculo ſolemni decreto anno 1656. in Comitiis Generalibus edito bellum acerrimum Probabiliſmo indixerunt? Venuſta ſunt quæ ſcribis pag. 176. *Non diffiteor tamen non multis ab hinc annis ex Thomiſtica Schola ſententiam noſtræ contrariam amplexos fuiſſe non paucos. Quo autem conſilio a veſtigiis celebriorum Auctorum ſuæ ſcholæ receſſerint, ipſi ſciunt.* Sciunt ſane, & niſi in hac hiſtoria jejunus omnino eſſes, hæc veritas te non lateret. Scias ergo & tu, Alexandro VII. adhortante Dominicanos Probabiliſmum ex univerſo Ordine Prædicatorum exterminaſſe, ut Synchroni teſtes adfirmant. Audi doctiſſimum Cardinalem de Aguirre, qui in *Præfat. ad Concil. Hiſpani.* hæc ſcribit. *Sed & laudandus eſt maxime inter Regulares Clariſſimus Ordo S. Dominici, qui HORTATU laudati Alexandri VII. vexillum extulit adverſus Moralem laxam per doctiſſimos alumnos ſuos Joannem Martinez de Prado, Julium Mercorum, Vincentium Baronium, Vincentium Contenſonium, Piccinardum, Gonettum, alioſque ſimiles ampliſſimo fructu: & merito quidem ita ſe geſſit, cum nihil aliud diſcere potuerit ab incomparabili ſuo Magiſtro Doctore Angelico, immo ab Auguſtino, ac ceteris Patribus, quorum germanam mentem circa fidem, ac mores, ille divino ingenio admiranda claritate explanavit, atque in methodum redegit.* En tibi patefactam rationem cur Dominicani bellum implacabile Probabiliſmo denuntiaverint, & per integrum ſæculum feliciter peregerunt, & *ampliſſimo* (ut ait laudatus Cardinalis de Aguirre) *fructu*. In hoc longiſſimo intervallo ſi excipias tres, aut quatuor Hiſpanos Dominicanos, qui ante Decretum Comitiorum Generalium ſcriptis mandaverant laxam doctrinam, nec unum Theologum alterius Nationis invenies, qui ex inſtituto Probabiliſmum propugnaverit.

XVI. Primus, quem inter antiquos Auctores in favorem Probabiliſmi *cit. pag.* 111. laudas, eſt Petrus Navarra laxiſſimus Caſiſta, quem Caramuel, ut defendat doctrinam damnatam *P. Amici* focii tui de licita occiſione calumniatoris hunc Petrum citat. Et tamen vel ipſa verba, quæ ex eodem tranſcribis, nihil favent Probabiliſmo. Quæ de B. Alberto Magno, Joanne Nyder & S. Antonino *pag.* 112. ſcribillas, rancidæ fabellæ ſunt, quas a tuis Terillo & La-Croixio bona fide exſcripſiſti. Sed illas profligatas vide *Tom.* 12. *Theol. Chriſt. a pag.* 410. *& ſeqq.* Verum conſiſtere Probabiliſmus ſine fabulis nequit. Opponis B. Humbertum ſupremum Ordinis Prædicatorum Moderatorem docere relaxandam eſſe auſteritatem, & agendum *benigne cum hominibus*. Quis hoc inficiatur? Benigne intra legis Evangelicæ confinia, non laxe, & perniciofe tractandi homines ſunt. Dominicus Soto & Sylveſter apertiſſime improbant Probabiliſmum, ut *loc. cit. pag.* 420. palam feci. Quædam verba detruncata carpis, ut fucum facias imperitis: deinde Lectores ad Terillum *Probabiliſmi Reflexi* inventorem, & Deſcamps remittis, ac ſi iſti in hac cauſa alicujus eſſent auctoritatis. Verum ut aliquo afficiaris rubore, audi quæ ſcribit celebratiſſimus Socius tuus R. P. Paulus Segneri epiſt. 2. pag. 88. *V. S. ſi contenti, che io li notifichi, come la controverſia oggi sì famoſa, ſe ſia lecito di ſeguire in qualche occorrenza l'opinione meno probabile al pa*

rite

ragone, o non ſia lecito, è controverſia sì giovane nelle ſcuole, che nacque il ſecolo paſſato. Per li quindeci ſecoli antecedenti non ſi teneva ad eſſa, più che agli Antipodi (N. B.) *avanti al* Colombo. *E con tutto ciò ſi viveva con buone regole di pietà Criſtiana, quanto al preſente: ſi ſcioglievano dubbj, ſi arrecavano conſigli, ſi aſcoltavano confeſſioni, ſi eſercitavano que' miniſterj di carità fervoroſa, che il noſtro ſecolo ha ereditati in beneficio delle anime*. Quid hiſcis? Quid muſſitas? Diſtinguo. *Scholaſtice* concedo. Subdiſtinguo. *Non ſcholaſtice* nego. Niſi ad has nugas te recipias, proſtratus jaces. Hinc collige, quod modus opinandi qui irrepſit in Theologiam, eſt Probabiliſmus. Sed vos Probabiliſtæ propriis veſtris antilogiis cauſam veſtram proditis. Subdis §. *XII. pag.* 115. a nato Probabiliſmo quamplurimos docuiſſe ſententiam benignam ideſt laxam, quos inter numeras Joannem a S. Thoma, Victoriam, utrumque Ledeſmam, Bannez, Alvarez, Leandrum, Lorcam, Suarez, Vaſquez, De Lugo, Sanchez, & alios citatos apud Terillum, & Lacroixium. Sed Auctores iſti nempe Leander, Lorca, Vaſquez, De Lugo, Sanchez damnatis & laxioribus opinionibus plus & minus ſcatent. Ergo nullius ſunt in hac Controverſia auctoritatis.

§. IX.

Paradoxon inauditum. Univerſa Eccleſia, inquit Cl. R. P. Carpani, *ſuffragatur Probabiliſmo. Veritatis aſſertores declarat Paſchalem, Nicolium, & alios; & falſitatis defenſores redarguit De Camps, Danielem, & ceteros Societatis Apologiſtas*.

XVII. QUÆ obtrudis §. *XIII. pag.* 116. omnem ſuperant fidem. Audiant Lectores, & obſtupeſcant, inferantque quæ adhibenda Probabiliſtis fides ſit. Inquis: *Demum quod plurimi faciendum eſt, Auctoritas Summorum Pontificum, & ECCLESIÆ UNIVERSÆ noſtræ ſuffragatur ſententiæ*. Ergo Probabiliſmus eſt dogma Catholicum. Nam quod *univerſa Eccleſia* docet loco dogmatis habetur. Accidit Probabiliſmo, quod evenit ſyſtemati Moliniano. R. P. Ludovicus Molina candide & baſilice faſſus eſt ſuam doctrinam de efficacitate gratiæ ab infirmitate humani arbitrii hauſta recta pugnare cum doctrina S. Auguſtini, atque adeo cum Eccleſiæ traditione. Continuo novitatis Sapientiores Theologi accuſarunt R. P. Molinæ doctrinam. Quid egerunt Molinæ defenſores, ut hanc novitatis cenſuram declinarent? Idioma permutarunt, congruiſmum invexere, & vocum, atque ſophiſmatum beneficio, quod inficiatus Molina eſt, adfirmare ipſi cœperunt, nempe novam doctrinam eſſe antiquam, & a S. Auguſtino traditam, atque temporis decurſu hoc recens inventum Molinianum in dogmatis gradum plures erigere conantur. Eamdem ſortem experitur Probabiliſmus laudati Moliniani ſyſtematis germanus frater. Hunc a Bartholomæo Medina in lucem emiſſum eſſe fatentur omnes. Et tu *Cl. Carpane* Probabiliſmum iſtum tamquam Univerſæ Eccleſiæ doctrinam divendere imperitis non vereris? Adeo denſis tenebris mentem tuam Probabiliſmus obſcuravit, ut tam monſtroſum paradoxon publicis typis evulgare minime reformidaveris? Notam quippe infamiæ univerſæ Eccleſiæ inuris. Nam & Sapientes Pagani, & SS. Eccleſiæ Patres, & Concilium Viennenſe, & univerſa Eccleſia Gallicana, & doctiores Theologi Probabiliſmum improbarunt & improbant tamquam laxitatum ſcaturiginem. Vix hodie reperitur doctus & eruditus Theologus, niſi cum veſte, ut loquitur Theophilus Raynaudus, Theologiam induerit, qui dedecori, & ignominiæ ſibi non vertat Probabiliſmum, & Probabiliſtam appellari. Verum ſummas nos tibi rependere gratias debemus, quoniam dum talia ſcribis, ipſe deridendum, exſibilandumque Probabiliſmum exhibes. Alexander VII. Dominicanum Ordinem hortatus eſt, ut Probabiliſmum labefactare ſcriptis conetur. Romana Sedes, ut jam dixi, Probabiliſmum in pluribus articulis damnavit: & tu *Univerſæ Eccleſiæ* Probabiliſmum adſcribere non perhorreſcis? Numquid Eccleſia Gallicana eſt extra Eccleſiam univerſam? Numquid integer Prædicatorum Ordo eſt extra Eccleſiam Catholicam? Ordines Auguſtinianus, Benedictinus, Carmelitanus ſunt ne extra Eccleſiam univerſam? Numquid Concilium Viennenſe eſt extra Eccleſiam catholicam? Numquid tot ſapientes Theologi Antiprobabiliſtæ ſunt extra Eccleſiam catholicam? Siquidem non una vice, ſed bis repetis hoc tuum axioma. Nam *pag.* 117. iterum ſcribis: *Demum Eccleſia Univerſa ſuffragatur noſtræ ſententiæ*.

XVIII. Cum ſerio hæc mecum meditarer, plura menti occurrebant. Sed incidi in *pag.* 180. & legi hæc tua verba. *Reſp. Valde paucos e Societate JESU impugnaſſe Pro-*

babiliſmum. Rurſus legi pag. 181. *Ferme OMNES, pauciſſimis exceptis, ſecuti fuerunt Probabiliſmum, palam fit hanc ſententiam viris ingenio præditis, & in Morali diſciplina verſatis viſam fuiſſe dignam, quæ ſententiæ oppoſitæ præferretur.... Profeſſores Societatis in quavis materia ſequantur doctrinam ſecuriorem, ſcilicet, quam celebriores Auctores docent, & communius approbatam, potius quam doctrinas exoticas, quas PAUCI aliqui Auctores INFERIORIS SUBSELLII ad oſtentationem ingenii, vel amore novitatis, vel libidine contradicendi typis divulgarunt*.

XIX. Plures docti hæc legentes ſic ratiocinabantur. R. P. *Carpani* ſtudiorum in Collegio Romano Præfectus perſuaſus eſt *Omnes ferme Jeſuitas* Probabiliſmum defendere. Ille autem judicat univerſam Eccleſiam docere, quod omnes ferme Jeſuitæ propugnant. Idcirco bis aſſeruit Univerſam Eccleſiam Probabiliſmo ſuffragari. Heinc inferebant alii. Ergo juxta R. P. Carpanum, extra Societatem non eſt Eccleſia. Conſequentia hæc legitima non eſt, inferebant alii. Siquidem extra Societatem reperiuntur Probabiliſtæ conjuncti Societati: & iſti conflant Eccleſiam Univerſam, ſi deciſionem ſpectes R. P. Carpani. Sit nec ne hoc ratiocinium juſtum, judicent doctiores. Quod mihi negotium faceſſit, eſt, quod ſtudiorum Præfectus appellet doctrinas probabiliores *doctrinas exoticas, quas pauci aliqui Auctores inferioris ſubſellii ad oſtentationem ingenii, vel amore novitatis, vel libidine contradicendi typis divulgarunt*. Si hæc ad legitimum Tribunal deferantur, nullus dubito quin cenſuram non evadant. Tanta oſtentatione, & tam incredibili jactantia detonare audet homo Probabiliſta? *Amore novitatis, & libidine contradicendi* probabiliores doctrinas omnes Eccleſiæ Catholicæ Patres quindecim ſæculorum propugnarunt? Tot Sapientiſſimi Cardinales, tot doctiſſimi Epiſcopi, integra Eccleſia Gallicana, tot Univerſitates, integer Prædicatorum Ordo, & innumeri Theologi *amore novitatis, vel libidine contradicendi* Probabiliſmum exortum anno 1577. oppugnarunt? Quid aures obtundis, reponit Præfectus ſtudiorum? Omnes iſti, quos opponis, ſunt *pauci aliqui Auctores inferioris ſubſellii*, ſi comparentur cum legione Probabiliſtarum magni nominis. Quinam iſti? Illos ignoras? Sunt *Medina, Caramuel, Diana, Bonacina, Leander, Sporer, Kazemberger, Lopez, Velaſco, Zanardi, Bizozer, Alcozer, Aldreta, Lorca, Pedrezza, Cabrezza, Simancha, Lamas, de Vecchj, de Graſſis, La Cruz, Veracruz*, & innumeri alii, quorum nomina in Eccleſia Dei reſonant.

XX. Miſeret me tui *Carpane Pater*, quod falſitatis arguas doctiores Apologiſtas Societatis Jeſu, & palmam, triumphumque adſcribas *Montaltio* ſeu *Paſchali*, & *Wendrochio*. Præfectus ſtudiorum Collegii Romani improbat ſuos Jeſuitas, ut triumphantes exaltet *Paſchalem* & *Wendrochium*? Prodigium hoc inauditum eſt. Rem ita ſe habere evinco. Celebris P. *Stephanus De Camps* librum edidit inſcriptum *Quæſtio facti. Utrum Theologorum Societatis Jeſu propriæ ſint iſtæ ſententiæ duæ. 1. ex duabus opinionibus probabilibus poſſumus ſequi minus tutam. 2. ex duabus opinionibus probabilibus licitum eſt amplecti minus probabilem*. Initium primi capitis hoc eſt. *Utrum veræ ſint iſtæ ſententiæ, an falſæ, non diſquiro. Hoc unum quæro, ſint ne Theologorum Societatis JESU propriæ? Dudum eſt enim quod id MONTALTIUS aliique ſcriptores larvati, quam importune, tam FALSO illis exprobrarunt*. Tu Cl. Carpane adfirmas omnes fere Jeſuitas defendere opinionem minus probabilem. Ergo veritatem ſcripſere Montaltius, Wendrochius, & ceteri larvati ſcriptores, dum Theologis Societatis Jeſu Probabiliſmum adjudicant, & falſus eſt Jeſuita *De Camps* qui hoc negat. Eluctari ne heinc vales? Quid plura? P. Matthæus *Moya* alterum volumen edidit, quo oſtendit Probabiliſmum non eſſe Theologorum Societatis doctrinam. P. Honoratus Fabri duo volumina in folio edidit hoc titulo inſcripta. *Apologeticus Societatis Jeſu. R. P. Annatus, Daniel, Gonzalez, Camargus* prolixas Apologias ediderunt, ut Theologos Societatis Jeſu a nota Probabiliſmi aſſererent. Mutatum ætate noſtra idioma eſt. *Omnes ferme Jeſuitæ* tu Cl. Carpane ais, veſtigiis inhærens Terilli, La-Croixii, ſibi defendunt Probabiliſmum. *Non latet P. Concinam Jeſuitas ex omnibus Italiæ Cathedris defendere Probabiliſmum*, ſubdit R. P. Jacobus Sanvitale in *Epiſt. Apolog. Trident.* editis an. 1752. *pag.* 38. Libere ergo impoſterum ſcribere poſſumus, Probabiliſmum eſſe doctrinam Theologorum Societatis Jeſu. Doctrina enim, quam omnes ferme Jeſuitæ docent, eſt doctrina Theologorum Societatis. Ergo fabulas ſcripſere *De Camps, Annatus, Moya, Fabri, Daniel, Gonzalez, Camargus* contra Paſchalem, Wendrochium, & alios, dum pro-

pu-

pugnarunt Probabiliſmum non eſſe Theologorum Societatis Jeſu doctrinam. Iſtæ viciſſitudines veſtræ occaſionem dabunt ſcribendi *hiſtoriam variationum Moliniſmi*, & *Probabiliſmi in Societate Jeſu*. In utramque te rotare partem vales, & heinc nunquam eluctaberis. Unum a te ſcire vellem. An tempore De Camps, Annati, Moya, Danielis, Fabri, Gonzalez, Camargo rationes occurrerint, cur bonum fuerit a tetra nota Probabiliſmi liberare Jeſuitas, ætate vero noſtra interit evulgare, Jeſuitas ferme omnes docere Probabiliſmum? In his tam apertis antilogiis aliquid arcani cubare videtur.

XXI. Sed quæſo te *Cl. Carpane*, ut argumentationem coerceamus noſtram, & quia parvi facere ſoles illos, qui extra Societatem ſunt, de Theologis Jeſuitis loquamur. Tu ais, *Omnes ferme Jeſuitas ſequi Probabiliſmum pauciſſimis exceptis*, & *iſti inferioris ſubſellii*. Ut quæ aſſeris ſplendidius reluceant, conferamus pauciſſimos iſtos Jeſuitas Antiprobabiliſtas cum multitudine Jeſuitarum Probabiliſtarum. Agmen ducat Ven. Cardinalis Bellarminus, qui Epiſtola ad Nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem ait: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere; & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciunt. Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi; & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rei, dum de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientia non remordente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur*. Prodeat in medium Præpoſitus Generalis Viteleſchi, qui hæc de libera opinandi libertate Jeſuitarum plurium ſcribit Epiſtola ad ſubditos Jeſuitas anno 1617. die 4. Januarii. „ Nonnullorum ex Societate „ Sententiæ in rebus *præſertim ad mores* „ *ſpectantibus plus nimio liberæ*, non mo„ do periculum eſt, *ne ipſam evertant*, ſed „ *ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia* „ *afferant detrimenta*. Omni itaque ſtudio „ perficiant, ut qui docent, ſcribuntve, „ minime hac regula & norma in delectu „ ſententiarum utantur: *Tueri quis poteſt;* „ *Probabilis eſt: Auctore non caret*. Verum „ ad eas *ſententias accedant*, *quæ TUTIO*„ *RES*, quæ graviorum, maiorique nomi„ nis Doctorum ſuffragiis ſunt frequenta„ tæ, quæ bonis moribus conducunt magis, „ quæ denique pietatem alere, & prodeſſe „ queant, non vaſtare, non perdere. Quo„ niam vero *Conſtitutiones*, *Decreta*, *Regu*„ *læ probe cavent de S. Thoma ſequendo*, „ de non promovendis ad cathedras, aut „ etiam removendis qui *ejuſmodi doctri*„ *nam parvi facere*, *aut cordi non habere* „ *præſeferunt*. " Hæc ſerio mediteris ſtudiorum Præfecte, & miſſis Probabiliſtis, eadem animis Profeſſorum tui Collegii altius imprimas velim. Præpoſitus tuus Generalis allegata regula S. Ignatii, Decretis, & Conſtitutionibus, *tutiores doctrinas*, quæ mores fovent, quæ legum obſervantiam promovent, non illas, quæ libertati & humanis appetitionibus indulgent, præcipit ut Jeſuitæ defendant, & exequantur. Audi alium Præpoſitum Generalem Tyrſum Gonzalez, qui edito volumine doctiſſimo contra Probabiliſmum, in libello ſupplici porrecto Clementi XI. Pontifici Summo an. 1702. his precibus eumdem alloquitur. *Cum Sanctiſſimus Prædeceſſor S. V. Innocentius XI. P. M. mihi dixiſſet, me factum fuiſſe Generalem in illum finem, ut Societatem averterem a PRÆCIPITIO, in quod ruere videbatur, de amplectenda ſcilicet ut propria ejuſdem Societatis ſententia laxiore circa uſum opinionum Probabilium, dictum illud &c... Inſtante jam fine peregrinationis meæ, illud vehementer deſidero, & ad conſcientiæ meæ pacem humillime rogare debeo, ut Sanctitas Veſtra pro ſingulari illa clementia, & beningniſſimo Patrocinio, quo Societatem ſemper protexit, dignetur præſervare ipſam Societatem a multis magniſque periculis, ipſi imminentibus ex hoc maxime capite Probabiliſmi*. His duobus Supremis inclytæ Societatis Moderatoribus accedunt Doctiſſimi Cardinales Toletus, & Pallavicinus, qui Probabiliſmum abjuravit, & tandem graviſſimi *Comitolus*, *Blancus*, *Elizalde*, quem ſupremum ſui ævi Theologum Pallavicinus appellat, *Camargo*, *Munieſſa*, *Rebellus*, *Eſtrix*, *Ehrentreic*, *Martene*, *Giſbertus*, *Antoine*, *Malatra*, *Junius*, *Raſsler Alpharus* &c.

XXII. In arenam nunc compareant *Vaſquez*, *Sanchez*, *Eſcobar*, *Burgaber*, *Roſmer*, *Gormaz*, *Konink*, *Caſtrus Palaus*, *Mendo*, *Salas*, *De Lugo*, *Tamburinus*, *Gobat*, *Terillus*, *Cardenas*, *La-Croix*, *Viva*, *Mazzota*, & ſexcenti alii. Nonne in conſpectu unius *Ven. Bellarmini* in fumum occidit iſtorum auctoritas? Quid ſi accedant duo Præpoſiti Generales Veteleſchi, & Gon-

zalez, cum ceteris Indicatis ſapientiſſimis Jeſuitis? Parvæ aut nullius auctoritatis ſunt Probabiliſtæ citati, ſi cum primis comparentur. Auderes ne *Cl. Carpane* præferre uni Bellarmino allegatos tuos Probabiliſtas, ſive ſapientiam, ſive pietatis exiſtimationem ſpectes? Pluris ne tu facis *Gobatos*, *Burgaberos*, *Roſmeros* alioſque, quam duos Præpoſitos Generales? Vi profeſſionis tuæ iiſdem exactam profiteris obedientiam. Superiores iſti tui & Societatis præcipitium, & Eccleſiæ univerſæ detrimentum ex doctrina probabiliſtica ominantur. Et tu *Cl. Carpane* reiicis inclytæ Societatis ſapientiſſimos Cardinales *Bellarminum*, *Toletum*, *Pallavicinum*, duos Generales, & doctiſſimos Theologos, in quorum operibus nulla damnata, nulla laxa doctrina occurrit, ut Probabiliſtis Caſuiſtis, quorum libri damnatis & damnandis doctrinis ſcatent, adhæreas? Nec ſuſpiceris, me ſolum Jeſuitas Antiprobabiliſtas pluris facere, quam omnes Jeſuitas Probabiliſtas. Nam hoc judicium ante me protulit Cl. Magiſter P. Laurentius Berti *lib.* 21. *cap.* 13. ubi hæc habet. Iſtos vero præſertim *Bellarminum*, *Pallavicinum*, *Toletum*, *Comitolum*, *Gonzalez æquiparare poſſumus Jeſuitis cæteris univerſis*, qui Probabiliſmum defendunt. Sed te *Cl. Carpane* alio ex capite adorior. Hactenus Gonzalez, Camargo, Elizalde, & alii ſapientiores Jeſuitæ demonſtrare curarunt Probabiliſmum non eſſe Societatis doctrinam. Tu contra cum tuo La Croixio, Fibo, Terillo, aliiſque nullum non moves lapidem, ut evincas Probabiliſmum eſſe univerſæ Societatis doctrinam. Nam quod *omnes ferme Jeſuitæ* docent, nequit non eſſe doctrina Societatis. Ergo, per te, licet Societas aliquo peculiari Decreto Probabiliſmum non adoptavit, facto tamen ipſo, quod omnibus Decretis prævalet, eumdem ſuam eſſe doctrinam teſtatur. Societas ergo Jeſu juxta te, La Croixium, Fibum, & alios Jeſuitas, non modo eſt *Mediiſta*, ſed etiam *Probabiliſta*. Putas ne, *Cl. Carpane*, Societatis tuæ augere ſplendorem, dum illam *Probabiliſtam* repræſentare toto virium conatu ſtudes? Ego contra ab hac Probabiliſmi nota vindicare Inclytam Societatem curavi, adductis ejuſdem Societatis Conſtitutionibus, Decretis, & ſapientioribus Jeſuitis, qui Probabiliſmum ab eadem Societate exterminare fategerunt. Alterutrum ergo tibi præſtandum: Aut ſolemniter retractare quod evulgaſti: *omnes ferme Jeſuitas docere Probabiliſmum*: Aut publice fateri Societatem tuam eſſe *Probabiliſtam*. Nullum heinc ad effugium aditus.

XXIII. Verum, ut luculentius tuum reſplendeat paradoxon, quod *univerſa Eccleſia ſuffragetur Probabiliſmo*, interrogare te cogor, quænam ſint præcipua Eccleſiæ membra? Epiſcopi, inquis, Cardinales, & Synodi. Audias nunc velim quot Synodi, rejecto Probabiliſmo, probabiliorem doctrinam amplectendam decernunt. S. Carolus Borromæus *part.* 4. *Act. tom.* 1. *tit.* 21. Cardinalis Gabriel Paleotus in Synodo celebrata Sabinæ anno 1594. Aloyſius Molinus Epiſcopus Tarviſinus in Decretis Synodalibus editis anno 1601. Marcus Maurocenus ejuſdem Tarviſinæ Eccleſiæ Epiſcopus in Synodo celebrata anno 1642. Marcus Cornelius Epiſcopus Patavinus in Synodo ſeptima habita anno 1624. Auguſtinus Priolus Epiſcopus Bergomenſis in Conſtitutionibus Synodalibus anno 1628. Joannes Antonius Lupus Epiſcopus Tarviſinus in Conſtitutionibus Synodalibus anno 1661. Bartholomæus Gradonicus Epiſcopus pariter Tarviſinus in Synodo habita anno 1670. Cardinalis Carolus Barberinus in Synodo Farfenſi celebrata anno 1685. Carolus Rubeus Epiſcopus Volateranus in Conſtitutionibus anno 1684. Cardinalis Chiſius Epiſcopus Albanenſis in Synodo Romæ edita anno 1699. Joannes Baptiſta Sanudus Epiſcopus Tarviſinus in Synodo habita anno 1690. Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Montisſuliſci, & Corneti in Synodo celebrata anno 1692. Vincentius Cardinalis Urſinus, poſtea Benedictus XIII. in Synodo habita anno 1692. Cardinalis Denhoff Epiſcopus Ceſenatenſis in ſua Inſtructione Paſtorali anno 1697.

XXIV. Brevitatis gratia omiſi tranſcribere verba, quibus laudati Cardinales & Epiſcopi in ſuis Synodis præcipiunt, ut *probabiliorem* doctrinam Presbyteri ſequantur. Si hæc Synodorum teſtimonia videre cupis *Cl. Carpane*, lege *tom.* 12. *Chriſtianæ Theologiæ*, ſeu ſecundum tomum Apparatus ad *Theol. Chriſt. lib.* 3. *Diſſ.* 3. *cap.* 4. Plurimas alias Italiæ Synodos prætereo, ne ſim longus. Pauca indicabo Decreta Epiſcoporum Galliarum contra eamdem Probabiliſticam doctrinam. Ludovicus Henricus de Gondrin Archiepiſcopus Senorum anno 1658. damnata Apologia P. Pirot Probabiliſmum improbat. Idem præſtitere Epiſcopi Alectenſis, Appamienſis, Convenenſis, Bazatenſis, & Conſeranenſis anno eo-

dem

dem 1658. Leonardus de Matignon Epiſcopus Lexovienſis anno 1659. Annas de Levyde Vantadour Archiepiſcopus Bituricenſis eodem anno. Felix Vialar Epiſcopus Catalaunenſis anno 1659. Euſtachius de Chery Epiſcopus Nivernenſis anno 1658. Archiepiſcopus Rhotomagenſis anno 1659. eodem anno Archiepiſcopus Bituricenſis. Henricus Andegavenſis Epiſcopus an. 1658. Nicolaus Epiſcopus Bellovacenſis eodem anno. Carolus Epiſcopus Sveſſionenſium anno 1659. Epiſcopus Tullenſis eodem anno. Alphonſus Dalbene Epiſcopus Aurelianenſis. Ægidius Eboracenſis Epiſcopus anno 1659. Antonius Godeau Epiſcopus Vencenſis. Conſtitutiones Synodales S. Franciſci Saleſii editæ anno 1670. Omnes laudati Epiſcopi *Probabiliſmum* in ſuis Synodis & litteris Paſtoralibus deteſtantur, & probabiliorem doctrinam amplectendam præſcribunt. Quorum teſtimonia legere poteris *tom. cit.* & etiam apud Merbeſium, Charlas, Gonetum, Contenſonium, Gennetum, Natalem ab Alexandro. Et tandem Conventus univerſi Cleri Gallicani ſolemni decreto Probabiliſmum damnavit, & probabiliores ſententias jubet, ut omnes amplectantur. Gallis Epiſcopis concinunt Hiſpaniarum Antiſtites, quos in Præfatione ad *Concil. Hiſpan.* collectionem teſtatur Cardinalis Aguirre, laudatque Fagundez de Torres Epiſcopum Calaguritanum, Ven. Joannem Pallafoxium Epiſcopum Oxomenſem, Ludovicum Criſpum Epiſcopum Placentinum. His accedunt Antiſtites, qui anno 1717. libellum ſupplicem porrexerunt Clementi XI. ut pluſquam trecentas opiniones laxas damnaret.

XXV. Conſtitutiones præcipuorum Ordinum Regularium probabiliores doctrinas præſcribunt. Conſtitutiones Soc. Jeſu. *Sequantur in quavis facultate SECURIOREM & magis approbatam doctrinam.* Numquid opinio minus probabilis, minus ſecura vi reflexionum evadit *ſecurior?* Si hanc Conſtitutionem eludere audeant, nihil eſt tam luculentum, nihil tam evidens, quod cavillari non queant. Cardinalis Laurea in 3. *Diſp.* 12. teſtatur Religionem Seraphicam ſecuriores, & probabiliores ſententias amplecti. Et quod rem conficit, in *Directorio* trium Ordinum Franciſcanorum Romæ edito anno 1688., & ab Innocentio XI. approbato, hæc habentur n. 63. *Omnibus noſtri Ordinis, ac aliis ſub noſtra directione, ſeu obedientia degentibus perſonis in Domino ſuademus, ac mandamus, ut doctrinas Tutiores ac Probabiliores ſemper doceant, & amplectantur.* Sacer Carmelitarum Ordo in ſuis Conſtitut. *p.* 2. *cap.* 15. §. 7. hæc præſcribit. *Prælector Caſuum conſcientiæ breviter dubia diſſolvat, & omnes opiniones in TUTIOREM partem incumbens ſemper ſequatur.* Ordo Trinitariorum præcipit, *ne P.P. Lectores ad oſtendendam ingenii ſubtilitatem adducant opiniones minus probabiles.* Cardinalis Aguirre in *cit. Præfat.* teſtatur Sacros Ordines, qui profitentur Regulas *S. Franciſci, & Carmelitarum*: item Sacros Ordines *Auguſtinianos*, *Præmonſtratenſes*, Congregationes *Oratorii* in Gallia, Congregationes *Benedictinorum* potiſſimum *Maurinam*, *Helveticam*, *Hiſpanicas*, *Germanicas*, *Italicas*, Probabiliſmo rejecto, probabiliorem ſententiam propugnare.

XXVI. Audias velim lepidiſſimum commentum Socii tui R. P. Claudii La-Croixii *lib.* 1. *n.* 324. ubi hæc habet. *Ordinum iſtorum Decreta plus non evincunt, quam quod eo tempore prævaluerint ſuffragia pro rigida ſententia, per quod MINOR accedit Auctoritas, ſi Ordinum illorum Profeſſores eandem retineant. Nam tenent ex obligatione. Nec eam quam alii, habent libertatem ſentiendi.* O commentum vere Probabiliſticum! Pro libertate ergo & ingenio Evangelicam legem interpretantur Probabiliſtæ. Hocce ne ignoras? Scilicet pro libito excogitant ſuas reflexiones, & diſtinctiunculas, quibus malitiam adimunt duellis, uſuris, ſimoniis, tactibus mamillarum, mendaciis, aliiſque vitiis. Regulares igitur, qui vi profeſſionis Monaſticæ Deo inſerviunt, pejoris conditionis ſunt præ ipſis laicis, quia eam, quam iſti, libertatem non habent. Pejoris conditionis ſunt Chriſtiani præ Paganis, qui vi profeſſionis baptiſmalis aſtringuntur legem Evangelicam profiteri, & pro viribus defendere: nec eam quam illi, libertatem habent. Hæc ſunt abſurda, in quæ corruunt Probabiliſtæ, ut luculentiſſima Decreta eludere ſatagant.

XXVII. A brevi digreſſione ad te *Cl. Carpane* revertor, & ut tuum Paradoxon de Univerſa Eccleſia ſuffragante Probabiliſmo evidentius ſplendeat, alia documenta in tranſcurſu indicabo. Alexander Papa VII. in ſuo Decreto edito anno 1665. de Probabiliſmo aperte ait: *Modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina.* Stephanus Gradius Alexandro VII. ſuppar, & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, in tractatu Romæ edito anno 1670. adverſus R. P. Ho-

no-

noratum Fabri teſtatur, Alexandrum VII. illis verbis *Modus opinandi &c.* Probabiliſmum notaſſe, ſicuti ex obvio Decreti ſenſu evidenter conſtat, & alibi oſtenſum eſt. Siquidem Pontifex Sanctiſſimus tot acceptis Epiſcoporum præſertim Galliarum & Belgii epiſtolis adverſus Probabiliſmum, *cœperat* (inquit Gradius) *impetum egregius Dei zelator, gravia omnino, ac ſevera de hac re tota* (de Probabiliſmo,) *& malum, ut ajebat, in ſua fonte, & radice funditus exſcindendi diſerta edita CONSTITUTIONE, ex qua finium hujuſmodi regundorum leges & rationes facile peterentur. Nec vere quicquam propius fuit, quam ut id faceret: feciſſetque ſine dubio, niſi interveniſſet ejus conſilio Cardinalis PALLAVICINUS, cui accuratiorem deliberationem ea viſa res eſt poſtulare, quam, ut celeriter, quod apparebat futurum, explicari poſſet, ac multo fore conſultius, ſi dilata tantiſper pleniori* (N.B.) *cenſura, ipſæ in præſentia opiniones nominatim configerentur, ut factum eſt.* Compertum itaque eſt Alexandrum VII. declaraſſe *Probabiliſmum* alienum a doctrina Evangelica & SS. Patrum. Advertas hic obiter velim, *Cl. Carpane*, Ven. Bellarminum abduxiſſe Clementem VIII., ut ex ſuis Epiſtolis patet, a proſcribenda doctrina Moliniana, quæ ſi damnata fuiſſet, probabiliter *Auguſtinus Janſenii* non prodiiſſet in lucem, atque adeo exorta minime fuiſſent diſſidia, quæ ab integro ſæculo graviſſime Eccleſiam perturbant, & inſenſiſſime dilacerant. Cardinalis Pallavicinus, teſte *Gradio*, obſtitit Probabiliſmi damnationi. Deplorandas utriuſque impedimenti calamitates quas nunc ſuſtinet Catholica Religio. Quis veſtrum *Cl. Carpane* ſollicitavit Pontificem aliquem adverſus Moralem laxam? ſed contra aliqui obſtacula potius ne damnaretur, interpoſuere, & Conſtitutiones S. Pii V. Sixti V. adverſus uſuras, & cambia ſicca, & plurium Pontificum Conſtitutiones contra ritus ſuperſtitioſos vanis extenuare commentis ſtuduerunt. Celeberrimus Cardinalis Paleotus in libro de *Sacri Conſiſtorii conſultationibus edito anno* 1594. teſtatur Sacrum Cardinalium Collegium ſemper in rebus controverſis *in tutiorem partem interpretari*. Cardinalis Petra Major Pœnitentiarius in tractatu de Sacra Pœnitentiaria anno 1712. edito, adfirmat Sacrum illud Tribunal inter oppoſitas ſententias *tutiorem partem præeligere:* additque *cap. 9. n. 7. Hujuſmodi vero ſtilum procedendi, quem ſequitur Sacræ Pœnitentiæ officium, complectuntur quoque quælibet majora Tribunalia Urbis, atque conſuetudini inhærent Summorum Pontificum, qui ſemper in certiorem partem confugere ſolent.... Summorum Pontificum ſemper fuit, & eſt velut quoddam axioma: in dubiis via tutior eſt eligenda, & quod certius exiſtimamus, tenere debemus.* Cardinalis Lambertinus nunc Summus Pontifex feliciter regnans BENEDICTUS XIV. *Tom. 4. Notif. n.* 20. inquit. *Sacra Pœnitentiaria ſemper opinionibus ſecurioribus adhæret.* Item tom. 2. Notif. 6. n. 17. *Quæ libere in utramque partem diſputantur in ſcholis, hac felici ſorte non gaudent cum deferuntur ad Tribunalia, quæ quod ſecurius eſt, ſequi volunt.*

XXVIII. Ex quibus omnibus concludit ſapientiſſimus Cardinalis Aguirre in cit. Præf. ad Conc. Hiſp. *Nimirum hic fuit ſemper Spiritus Eccleſiæ, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Epiſcopis, quotquot Canones ediderunt, quam in iis, qui pietatis, & doctrinæ laude illos uſque modo imitati ſunt. Unde ab initio fere Pontificatus Alexandri VII. mirum eſt, quo zelo, qua eruditione & conſtantia, quamplurimi Epiſcopi præſtantiſſimi nominis, partim vita functi, partim ſuperſtites PROBABILISMUM LUXURIANTEM REPRESSERINT. Quot Concilia ab eo tempore in Gallia contra ILLUM uſque modo celebrata ſunt unanimi Patrum congregatorum ſuffragio a Merbeſio, & aliis exſcripta? Quot Conventus Epiſcoporum, Doctorum, Clariſſimæ Sorbonæ, ac Parochorum Pariſienſium, Rhotomagenſium, aliorumque ad ILLUM exterminandum, & ad proſcribendam famoſam illam Apologiam Caſuiſtarum conſpirarunt?*

XXIX. Quid ad hæc *Cl. Carpane*? Quid reſponſi exhibes? An excuſare te vales hæc ignoraſſe documenta? Minime gentium. Nam legere illa debuiſſes & in Hiſtoria Probabiliſmi, & in tomo XII. Theologiæ Chriſtianæ, ubi teſtimonia Synodorum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Sacrorum Ordinum Regularium, atque inſigniorum Theologorum & Canoniſtarum fuſo calamo relata ſunt. Et quod magis urget, Hiſtoriam Probabiliſmi tu legiſti, cum nonnulla refellere curaveris. Et hæc omnia diſſimulaſti? Hæc omnia profundo ſilentio obvolviſti? Verum ſilentium tuum nihil pendo. Quod omnem excedit admirationem eſt, quod in conſpectu tantæ multitudinis documentorum, & tam inſignium teſtium te non puduerit ſcribere: *Univerſam Eccleſiam ſuffragari Probabiliſmo.* Numquid intra cœtum

tum

tum Probabiliſticum concluſa univerſa Eccleſia catholica eſt? Numquid Probabiliſtis permiſſum eſt falſa pro veris divendere? Aut legiſti hæc documenta, aut ſecus: Si primum; Ubi fides bona? Si ſecundum; Cauſa incognita publicis typis evulgas *Univerſam Eccleſiam ſuffragari Probabiliſmo*? Quid hiſcis? Quid reponis? Sed te preſſius urgere lubet. Quod *univerſa Eccleſia ſuffragetur Probabiliſmo* quæſtio facti eſt. Cedo. Qui in facti graviſſimi expoſitione Reipublicæ litterariæ imponit, & manifeſtiſſimam falſitatem divendit, obnoxius ne publicæ retractationi eſt? Controverſia Probabiliſmi per univerſam divagatur Theologiam. Ab hac pendet abſolutio recidivorum, pendet uſura contractuum, & cambiorum, pendet animarum ſalus. Graviſſimum itaque negotium eſt, nec gravius occurrere poteſt. Porro tam falſum eſt factum, nempe *Univerſam Eccleſiam ſuffragari Probabiliſmo*, quam falſum eſt tenebras eſſe lucem, & lucem tenebras. Immo ex adductis documentis, excepto parvulo Probabiliſtarum manipulo, univerſa Eccleſia in ſuis Synodis & Decretis deteſtatur Probabiliſmum. Nobiliſſima Eccleſiæ portio illum ſolemni Decreto damnavit. Tu nunc *Cl. Carpane Pater* judex eſto, num ad publicam, & ſolemnem retractationem aſtringaris? Mihi in tui excuſationem aliud non occurrit, niſi, quod deceptus fueris a Terillo, a La Croixio, aliiſque tuis Probabiliſtis, quos falli neſcios exiſtimas. Sed expergiſcere tandem aliquando, & certus eſto citatos Auctores & factis falſis, & opinionibus valde laxis ſcatere. Nec propterea a dicta publica retractatione excuſaris, quod fide nimium bona ab ejuſmodi Auctoribus tua dicta tranſcripſeris, ut mea minima præfert opinio. Sed conſule doctiores.

§. X.

Aliud lepidiſſimum Paradoxon de arcana Probabiliſmi doctrina expenditur.

XXX. Scribis *Cl. Carpane* §. 14. pag. 118. *Nec obtrudant adverſarii Auctores longe pauciores, qui contrarium ſentiunt. Nam ex iis aliquot vel ſententiam noſtram non ſatis intelligunt, nec ſatis mente aſſequuntur principia, quibus illa innititur, vel illam, ejuſque principia in ſenſum prorſus alienum detorquent.*

Papæ! Theologi ipſi non capiunt Probabiliſmum? Adeo arcana eſt doctrina probabiliſtica, ut vel ipſis Theologis impervia ſit? Ergo Antievangelica eſt. Evinco conſequentiam. Doctrina Evangelica morum moderatrix perſpicua, ſimplex, limpida, & omnibus, vel ipſis rudibus, obvia eſt, & intelligibilis. Te judice, doctrina Probabiliſtica, quæ dirigit Chriſtianorum mores, ita abſtruſa, & involuta eſt, ut Theologi ipſi eam ignorent, nec principia, quibus innitur, percipiant. Ergo antichriſtiana, & antievangelica eſt. Habes ne quid reponas? Contra doctrina Antiprobabiliſtica omnibus patet. In dubiis æternæ ſalutis tutior pars eligenda eſt: in veritatibus controverſis id quod veriſimilius, quod propinquius veritati accedere dignoſcitur, id ſeligendum eſt. Quid evidentius, quid clarius vel ipſis idiotis, qui reapſe hac regula utuntur in quibuslibet negotiis? Ut Probabiliſtæ hæc principia lumine naturali cognita obſcurent & implicent, antra diſtinctionum, & anfractus ſubdiſtinctionum atque vocum fabricant, quo a veritatis luce ſe ſe recipiant. Quando coguntur heinc exire, & ſua paradoxa clare eſponere, tunc clamitant ſe exclamationibus obſideri. Reponis ibidem. *Sinnichius, Contenſonius, Vincentius Baro, Jacobus a S. Dominico potius dicteriis, & convitiis, quam rationibus cauſam tuentur ſuam. Camargo inani verborum ſtrepitu & effrenatis exaggerationibus vim ſuis argumentis addere fruſtra conatur.* Legi Sinnichium, Contenſonium, Baronium, alioſque, & deprehendi invictis argumentis luxuriantem Probabiliſmum labefactare. R. P. Ignatius de *Camargo* ſui Præpoſiti Generalis Tyrſi Gonzalez veſtigiis, ut obediens ſubditus, inſiſtens, & memor oraculi alterius Generalis ſui *Viteleſchi*, quod Probabiliſmus, & Societatem pervertere, & Eccleſiæ univerſæ maxima inferre detrimenta debeat, omni argumentorum genere, & ineluctabilibus demonſtrationibus probabiliſticam doctrinam profligat. Contra inaudita *R. P. Terilli* paradoxa, quibus in Deo commentus eſt Legem conſequentem & reflexam, approbantem adulteria, perjuria & cetera ſcelera ignorantiæ probabiliſticæ invincibilis larva obtecta, quæ vel ipſis Stoicis terrorem incutiunt, vocem exaltat, & gravi, eloquentique oratione, quam horrenda ſit Terilli doctrina, manifeſtat. Et hæ declamationes Probabiliſtas torquent, affliguntque, quod videant ſub publico & nativo aſpectu ſua abſona commenta expoſita. Cur tu *Cl. Carpane* Terilli doctrinam non vindicaſti? Cur inanes R. P. Igna-

Digitized by Google

Ignatii de Camargo exclamationes non pateſeciſti? Convicia appellas juſtiſſimas falſæ, & inauditæ doctrinæ redargutiones? An methodum iſtam non ſervarunt ipſi Eccleſiæ Patres omnes adverſus doctrinas novas? Provoco te, ut vel unum Theologum deſignes, qui præfatam legem reflexam in Deo excogitaverit ante Terillum.

XXXI. Numquid repetere cum tuo P. Carolo Nocetio audebis, *Diſcipulos Jeſuitas a Magiſtris Dominicanis Probabiliſmum Reflexum didiciſſe*? Paradoxon iſtud in fundo tuo, in vinea tua, in Societate tua, natum, ſatum, & propagatum eſt. Nemo ante Terillum nec umbram tam falſæ, & erroneæ doctrinæ prætulit. Probo itaque quæ tu ſcribis *omnes ferme Jeſuitas* inferioris tamen ſubſellii ſequi Probabiliſmum, vireſque ſuas exercere omnes, ut hanc plantam, quæ fructus alendis humanis appetitionibus conſentaneos edit, excolant, amplificent, muniant, atque contra omnes adverſarios propugnent. Nullus quippe Ordo tot & tam ſpiſſa volumina edidit in defenſionem, & amplificationem Probabiliſmi, quot edidere Theologi Societatis. Et cum hæc ita ſe habeant, *P. Bala* ſcribere *epiſt.*1. *pag.* 101. non erubeſcit quæ ſequuntur. „ Perſuadetevi „ pure M. R. P. che per ſolo amore, che „ debbono alla Compagnia, ſonoſi i Geſuiti „ moſſi a ſcrivere contro la Conciniana „ Storia: e *non per premura che abbiano* „ *del Probabiliſmo*, ne di queſta, o quella „ ſentenza d'alcuno de' ſuoi Scrittori. Su „ tal punto ſo certo eſſer comunemente „ queſti Padri più, che il Mondo non cre„ de, indifferenti. „ Ut e ſupremo Societatis throno deturbarent Generalem Gonzalez Jeſuitæ nullum non moverunt lapidem, propterea quod e Societate exterminare avebat Probabiliſmum, & *P. Balla* Jeſuitarum indifferentiam pro hac doctrina oſtentat? Dum Jeſuitas belligerantes pro fideicommiſſo Probabiliſmo ſpecto, mihi videre videor Turris Babelicæ ædificatores, qui dum unus trullam exhibet, alter cæmentum porrigit. Subdit ibidem *P. Balla*, quod ſi *bonus P. Concina* ſilentio prętermiſſet Auctores laxarum opinionum, nemo turbaſſet ejuſdem *affectationem oſtentandi Zelum pro morum reformatione*. Unica periocha depingit P. Concinam, ut ignarum, & hypocritam. Quid enim prodit hęc dictio: *Il buon P. Concina*? Quid hęc alia, *affettazione di zelante*: niſi ſtupiditatem, & hypocriſim? Si ſilentio prętermiſſet Concina Auctores, nemo illi bellum indixiſſet? Ergo ad arma conclamarunt, quia laxitatis Auctores nominavit. Sed Auctores, quorum laxitatis paradoxa confutavit P. Concina, ſunt typis publicis editi. An non licet Caſuiſtas Jeſuitas, qui ſunt in Confeſſariorum manibus, ſi opinionibus laxis ſcateant, refellere? Hęc ne exacta indifferentia ſuper Probabiliſmo, & laxis Auctorum opinationibus? Sed quid ultra pergo adverſus *P. Balla*, cujus Epiſtolas Cl. Euſebius Eraniſtes penitus labefactavit, atque contrivit tanta evidentia, ut nihil niſi verborum congeriem more ſuo reponere adverſarius queat?

§. XI.

Aliud Paradoxon monſtroſum, quod Alexander VII. damnavit ſententiam probabiliorem.

XXXII. PAG. 154. hęc de Decreto Alexandri VII. ſcribis. „ *In rebus ad conſcientiam pertinentibus MO-* „ *DUS opinandi irrepſit alienus ab Evan-* „ *gelica ſimplicitate*. Quo Decreto prę„ miſſo Adverſarius audacter pronuntiat per „ verba reprobari modum opinandi Proba„ biliſtarum, quippe qui noviter irrepſit, „ & aptiſſimus eſt ad inducendam.... *Reſp.* „ *potiori jure dici poſſe modum opinandi*, „ *quem reprobat Summus Pontifex, eſſe mo-* „ *dum opinandi Probabilioriſtarum*.

XXXIII. En quam verum ſit, nihil eſſe tam evidens, quod negare intrepide hic Probabiliſta non audeat. Reprobavit ergo Alexander VII. doctrinam in rebus incertis probabiliorem? Bona ne fide, & ſincero animo id ne aſſeris? Ais? Ergo obſcuriſſima caligine ſcriptum tuum perfuſum eſt. Doctrina probabilior obtinuit in Eccleſia uſque ad an. 1577. nemine contradicente. Omnes etiam Probabiliſtæ docent hanc eſſe viam ſecuriorem. Et hanc perfectiorem doctrinam reprobavit Alexander VII. Pontifex Summus? Quis umquam audivit tam monſtroſum paradoxon? Simile eſt alteri, quo exponit Conſtitutionem Societatis Jeſu præcipientem, ut Jeſuitæ ſequantur *Doctrinam ſecuriorem*, ideſt, inquit ille, *minus probabilem* ſeu minus ſecuram. Sic ratiocinatur Præfectus ſtudiorum Collegii Romani.

XXXIV. Cap. III. pag. 157. Socii tui *P. Antoine* argumenta refellere, ſeu obſcurare conaris, infelici tamen eventu. Mira res! Unica hoc ſæculo e Societate Jeſu prodiit Theologia, quæ ſanam doctrinam promovet, & ipſi Jeſuitæ & verbis, & ſcriptis eamdem

dem

Digitized by Google

ſem oppugnant. Theologia P. Antoine nullam continet doctrinam, aut æquo rigidiorem, aut laxiorem. Hæc Theologia adoptata eſt a pluribus Epiſcopis in propriis Seminariis explicanda: legitur in Collegio Congregationis de propaganda fide. Et tu adverſus hanc Theologiam inveheris excandeſcis, tricaris? Contra Theologica Opera Terilli, Caramuelis, Bonacinæ, Tamburini, Sanchez, Eſcobarii, Caſtropalai, Gobbati, La-Croixii, Vivæ, & ſimilium ſcatent plus & minus doctrinis damnatis, laxis, & damnandis. Et tu Carpane Pater Theologiam P. Antoine improbas; & Theologiam Probabiliſticam falſis doctrinis inquinatam promoves, exaltas, illamque Parochis & Confeſſariis proponis, inculcas, & ſuades, ut regulam adminiſtrandi Sacramenta chriſtiana? Hæc veritas facti eſt, quam eludere nulla cavillatione vales. Dum hæc ſerio recogito, continere me nequeo, quin exclamem: *Quam terribilia ſunt opera tua Domine.... Terribilis in conſiliis ſuper filios hominum*, *Pſal.* 65. An manibus, nedum mente, tangimus & intelligimus prædictionem Apoſtoli Pauli? *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* An docent Caſuiſtæ, quos tu exaltas, poſſe Chriſtianos coacervare ſibi Magiſtros, donec inveniant aliquem qui pruriat auribus? Audi tuum Patrem Dominicum *Viva* qui ex Sanchez, Caſtropalao, Zumel, & aliis hæc in *propoſ.* 27. damnata ab Alexandro VII. hæc *num.* 7. docet. *Hinc fit poſſe aliquem conſulere plures viros doctos, DONEC inveniat aliquem, qui ab obligatione V. G. reſtituendi, vel jejunandi illum excuſet, ut docet Sanchez lib.* 1. *cap.* 9. *Palaus, Zumel, & alii non pauci apud Macado. Ratio eſt, quia unicuique licitum eſt ſuo jure uti, & per licitum, & honeſtum medium deobligari, quale eſt varios Doctores conſulere ad favorabilem opinionem inveniendam.* Audiſtin? Poteſt ne expreſſius doctrina S. Pauli delineari? Poſſunt Chriſtiani circumire & conſulere plures Doctores, donec inveniant illos, qui *pruriant auribus*, qui doceant *opinionem favorabilem* liberantem *a reſtitutione, a jejunio* &c. &c. &c. Neque exceptiones & explicationes, quas ex Sanchez ibidem adjicit P. Viva, vel tantillum laxitatem doctrinæ minuunt. Vide *Tom.* 2. *Appar.* ad Theologiam Chriſtianam *pag.* 451.

§. XII.

Exploditur ſophiſma quo evincere Cl. Carpane contendis Jeſuitas a Thomiſtis didiciſſe Probabiliſmum.

XXXV. Nihil aliud ſupereſt *Cl. Carpane*, niſi ut rancidam illam argumentationem ab auctoritate Dominicanorum acceſſitam, quam *diſſ.* 3. *cap.* 1. quatuor paragraphis exaggeras, penitus labefactem. Pag. 121. allegas P. De Camps, qui in ſua *Quæſtione Facti* teſtatur, omnes ferme Thomiſtas ab anno 1577. uſque ad annum 1656. docuiſſe Probabiliſmum. Hunc De Camps Socium tuum verſatiſſimum in arte critica aſſeris; ſed in hac quæſtione omnes critices regulas manifeſte violavit, dum S. Thomam, Albertum Magnum, S. Antoninum Probabiliſtas efficit, quo nihil abſurdius dici valet. Hanc eamdem cantionem alii Socii tui recantant, *Ghezius*, *Zaccaria*, *Sanvitale*, & præ ceteris *P. Balla*, qui in Epiſtola prima *pag.* 82. inclamat, potuiſſe P. Concinam in Scriptoribus Dominicanis laxarum opinionum ſordes, & fœditates reperire, quin in Scriptoribus Jeſuitis eaſdem inquireret. Sed mirifice fallitur P. Balla. Probabiliſmum reflexum, & leges æternas contradictorias, quas in Deo finxit *P. Antonius Terillus*, & orrenda, ut ait P. Camargo, quæ inde manant, conſectaria: Chriſtianum poſſe ſuſcipere ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in peccato mortali, quin peccet mortaliter: Paganum teneri in articulo mortis profiteri Religionem Chriſtianam, quam probabiliorem judicat, ſecus in vitæ curſu. Hæc, & plura alia paradoxa in nullo Dominicanorum Auctore reperire potuiſſet P. Concina.

XXXVI. Cum ſerio recogito Adverſarios contra P. Concinam pugnantes, mihi videre videor Turris Babelicæ ædificatores, quorum idioma confuſum eſt, & quod illi affirmant, iſti negant. *P. P. Sanvitale*, *Lecchius*, *Zaccaria*, & alii vociferantur Concinam infamaſſe Theologos Dominicanos, *Caratinos*, *Milante*, *Pornaſios*, *La Cruzios*, *Cajetanos*, *Sotos*, & alios: & reapſe non pepercit neque *Cajetano*, neque *Soto*, neque *Bannez*, neque *Serræ*, neque ceteris ſuperioris ſubſellii Theologis Thomiſtis opportunitate data; quod ſi ut millies dixit, *Ledeſmæ*, *Velaſco*, *Orrelanæ*, *l'Arriaga*, & aliorum opera prætcriit, ideo evenit, quod iſtorum libris careret, & quod vix in uni-

verſa Italia, Germania, & Gallia talium Auctorum opera reperiantur ſive in manibus Confeſſariorum, ſive in Bibliopolarum officinis. Contra clamant *Gagna*, *Balla*, *Carpanus*, & alii, P. Concinam callido & verſuto artificio laxas Dominicanorum opiniones occultaſſe. Quam falſiſſimam imputationem opera P. Concinæ penitus profligant.

XXXVII. Sed lubet tibi *Cl. Carpane*, interrogationem factam *R. P. Carolo Nocetio* inſtaurare. Cur ſcilicet vos Jeſuitæ continenter inclamatis, Probabiliſmum a Dominicanis Magiſtris didiciſſe? Cur hanc gloriam excogitandi Probabiliſmum Dominicanis adſcribatis? Hic veſter argumentandi modus evincit, vos ſuſpectam erroris habere doctrinam Probabiliſticam, & de eadem diffidere. Si hæc doctrina evidenter Evangelica eſſet, quid opus eſſet continue exclamare, Jeſuitas a Thomiſtis Magiſtris eamdem didiciſſe? Cur ad hoc Dominicanorum aſilum ſemper vos recipitis, cum argumentorum evidentia preſſi eſtis? Tanto ne Dominicanorum gloriæ ſtudio ardent Jeſuitæ, ut illis palmam Evangelicæ doctrinæ adſcribere velint? Quis hoc credat? Cur ergo in controverſia Probabiliſmi ad tribunal Thomiſticum ſemper appellatis? Non ſane ob aliam rationem, niſi, ut externo ſubſidio falſam & corruentem doctrinam ſuſtinere quoquo modo valeatis.

XXXVIII. Verum ut ad incitas vos redigam: quid eſt quod duodecim circiter Hiſpani Thomiſtæ, qui Scholaſticæ Theologiæ voluminibus quæſtionem de Probabiliſmo inſeruere, tanti apud vos ſint, ut paſſim inclametis a Thomiſtis Magiſtris Jeſuitas didiciſſe Probabiliſmum? Quandonam Ordo Prædicatorum de eligendo Probabiliſmo Decretum condidit? Quiſnam Thomiſtarum extra Hiſpanias hanc propugnavit doctrinam? Vix duos, aut tres invenietis. Contra vero univerſus Prędicatorum Ordo in Comitiis Generalibus Romę habitis anno 1656. ſub Reverendiſſimo Joanne Baptiſta de Marinis ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali, hortante, ſuadente, & imperante Summo Pontifice Alexandro VII., Probabiliſmum exterminare a ſua Religione totis viribus curavit. Operę pretium exiſtimo iſthuc transferre integrum Decretum, quod eſt tenoris ſequentis.

„ Admonemus omnes, & ſingulos noſtri „ Ordinis Profeſſores, quatenus ſtatutorum, „ ſuique officii, ac reſpectivę juratę Pro„ feſſionis continuo memores, necnon pœ„ narum in prævaricatores taxatarum (quas „ irremiſſibiliter incurrent) rigorem ante „ oculos habentes, caveant ab omni pruri„ tu exoticarum, minuſque cum genuina „ littera S. Thomę cohærentium opinionum, „ tam in Philoſophicis, quam in Theologi„ cis, *precipuę vero in Moralibus*, *ubi preſ„ ſius de ſalute*, *ac indemnitate animarum „ agitur*. In his porro ſtudeant omni cau„ tela evitare *opiniones laxas*, *novas*, *ac „ parum tutas*, *abſtineantque a Paradoxis*, „ *ac MONSTRIS recentium placitorum*, „ *ſeu problematum*, quæ magis vanitati, ac „ periculoſæ oſtentationi militant, quam „ veritati. Denique ſatagant non tantum „ fideliſſime in omnibus adhæreſcere ſanæ „ doctrinę Angelici noſtri Pręceptoris (quam „ ille ex limpidis, ac incorruptis SS. Pa„ trum fontibus integerrime in alveos ſuo„ rum operum corrivavit) verum etiam ad„ ſueſcere proprię ipſius fraſi, & modo lo„ quendi, ita quod, quantum fieri poteſt, „ ne quidem ab ipſo verborum ejus ordine, „ ſtilo, & emphaſi longius diſcedatur; ut „ ſic evitentur ſecurius omnes profanæ vo„ cum novitates, *nimiſque animoſa extrin„ ſecarum probabilitatum ſuffragia*; ſtudeant „ inſuper *Veterum*, ac celebrium Thomiſta„ rum TUTIORIBUS ubique veſtigiis inſi„ ſtere: & ſicubi inter hujus ævi Theolo„ gos enaſcitur publica ſentiendi varietas, „ noſtri ad litteram, & *priſcum ſenſum* D. „ Thomæ, ejuſque fidorum interpretum, „ nec inde ullo pacto divellantur. Quod, „ ut acrius ab omnibus præſtetur, *Notifica„ mus Univerſis*, *hoc ſumme conſonare ex„ preſſæ voluntati S. S. D. N. Alexandri Di„ vina Providentia Papæ VII.*, *qui iſtud „ univerſo Ordini ita præſcribi*, *ac ſignifi„ cari clementiſſime IMPERAVIT*. “

XXXIX. Præceptum ergo impoſuit univerſo Ordini Prædicatorum Summus Pontifex Alexander VII. ut calamum acueret *contra Paradoxa, ac Monſtra recentium placitorum*, & nimis animoſa extrinſecarum probabilitatum commenta. Pręterea Comitia Generalia jubent, ut *Veterum* ac celebrium Thomiſtarum, recentibus quibuſdam Hiſpanis Thomiſtis neglectis, *Tutioribus ubique* veſtigiis inſiſtant. Tanti fecit hoc Decretum Ordo Prędicatorum, ut Reverendiſſimus P. Antonius Cloche Magiſter Generalis Ordinis in Chronico Conſtitutionum anno 1690. inſeruerit his verbis: *Succeſſerunt iis quæſtionibus Janſeniſtarum*, *& aliæ de opinionum probabilitate*. *Sed hæ cum in apertam animarum perniciem nimia laxitate* *cede-*

cederent, *velletque Pontifex huic malo opportune mederi*, *ſignificavit cupere id a noſtris fieri per genuinam D. Thomæ doctrinam: quod & ſtatim a multis præſtitutum eſt, & quidem in Italia a F. Julio Mercoro Inquiſitore Mantuano*, *in Hiſpania doctiſſime & eruditiſſime a F. Joanne Martinez de Prado multis voluminibus*, *in Gallia a F. Vincentio Baronio viro præclariſſimo*, *& eloquenti*, *tum a F. Ludovico Bancello*, *F. Vincentio Contenſonio*, *& F. Joanne Baptiſta Gonet*.

XL. Poſt latam legem uſque ad annum 1692. duos, aut tres Thomiſtas, qui Probabiliſmo faverint, obtrudere Adverſarii ſolent. A medio, & amplius ſæculo, nec unum alicujus nominis Theologum Dominicanum opponere audent. Univerſum Ordinem Prædicatorum abjurantem Probabiliſmum nihil vos penditis, & duodecim circiter Thomiſtas Hiſpanos, quorum doctrina de probabilitate improbata in laudato Decreto eſt, in ſubſidium noxii, & prolabentis Probabiliſmi advocatis? Ubique allegatis *Medinam*, *Lopezium*, *Bauneſium*, *Serram*, alioſque Hiſpanos recentes Theologos: & contra, Generalia Comitia totius Ordinis pernicioſam doctrinam deteſtantia, nihil apud vos ſunt. Verum miſſis argumentationibus, ſi ſincere & bona fide hanc cauſam oratis, vos Dominicanorum volumina ſcrutamini, omniaque laxitatis Paradoxa inde excerpite. Dominicani purgabunt Jeſuitarum Caſuiſtas. Poſtea æmulantes chariſmata meliora, concordi, & reciproco animo Apoſtolicam adite Sedem, & laxarum opinionum proſcriptionem implorate. Si hoc mutuum fœdus, quod vobis omnes Thomiſtæ ſincero animo offerunt, reſpuitis, nonne laxarum doctrinarum patronos vos metipſi declaratis, & panditis? Serio ergo expendite graviſſimum hoc negotium, in quo Chriſtianorum ſalus æterna agitur.

EPISTOLA SEXTA.

ARGUMENTUM.

Improperia, *Phanatiſmus*, *Janſeniſmus*, *& alia convicia impacta a nonnullis Probabiliſtis Evangelicæ Moralis Defenſoribus in apricum traducuntur.*

I. Epiſtola hæc *Cl. Carpane*, non de doctrina diſputat, ſed de modo, & ratione tractandi controverſias Theologicas, & propugnandi Moralem Evangelicam, tota eſt. Probabiliſtæ plures integro jam ſæculo, ut laxam Moralem penes imperitos propugnent, ab infamatione adverſariorum, qui pro ſana Evangelica doctrina dimicant, ſua validiora argumenta derivarunt, hauſeruntque. Communiter purioris Ethices defenſores *Tutioriſtas*, *Rigoriſtas*, *Phanaticos*, *Janſeniſtas*, *Hæreticos*, *aut hæreſeos ſuſpectos* benigniſſime appellant, traducunt, diffamantque. Ut cætera exempla prætermittam, methodum, quam Tu, & plures Socii tui adverſus P. Concinam ſervaſtis, paucis, & in tranſcurſu indicabo. Continuo ac Concina in lucem edidit librum in defenſionem jejunii Eccleſiaſtici contra duos Presbyteros Placentinos *Copellotti*, & *Caſali*, illico foras erupit Socius tuus P. *Monti*, ut laxam contra jejunium propugnaret ſententiam, quam duobus Decretis inhibuit Summus Pontifex BENEDICTUS XIV., probavitque doctrinam a Concina aſſertam. P. Monti in hoc ſuo libro inſcripto DIFESA &c. P. Concinam appellat *Luthero*, *& Mclanchtone pejorem*, *Diſcipulum Hæretici Jacobi Noilor capitis Tremulantium*, *hominem actum furore*, *invidia*, *& odio*. Hæc eadem elogia eidem præter propter appingunt alii Socii tui PP. Jacobus Sanvitali, Gagna, Ghetius, Lechius, Zechius, qui eum *Cacodæmone Saulis obſeſſum* aſſerunt. Alii eum appellitant Belvam, pluſquam belvam, belvam in ſupremo gradu. Quid de libello famoſo inſcripto *Ritrattazione &c.* dicam a nonnullis Sociis tuis evulgato, & a Romana Sede damnato, propter enormiſſimas calumnias Concinæ affictas, quem non modo ad triremes damnant, ſed, ut igne comburatur, reum teſtantur? Quem libellum licet proſcriptum ſecundis typis edi curarunt, & propriis manibus diſtribuebant. Si omnes impoſturas, calumnias, convicia, & obbrobria, quibus dilacerare famam P. Concinæ tentarunt aliqui Socii tui, ſcire cupis, lege Epiſtolam 31. celeberrimi Euſebii Eraniſtæ.

Digitized by Google

„ & perturbatione. P. Tyrſus Gonzalez
„ Generalis jam a duobus annis, & amplius
„ *totam Societatem laceſſit* 1. Prætextu cu-
„ juſdam libri, quem ſcripſit *de Opinione*
„ *probabili* olim rejecti a P. Oliva tunc
„ Generali, & Reviſoribus Societatis &c....
„ Alterum quod dolemus B. P. eſt proceſ-
„ ſus, & agendi ratio P. Generalis, quam
„ emendari, corrigi, coerceri a V. S. eni-
„ xiſſime poſtulamus.... Hic enim ut pau-
„ cis multa complectamur *libellos famoſos*,
„ *& incredibiliter maledicos ſpargit, & per*
„ *ſuos fautores ſpargere pergit contra noſtram*
„ *Societatem, quibus non modo Delingani*
„ *ſui operis falſitates, & contumelias com-*
„ *plectitur, ſed etiam auget, & amplifi-*
„ *cat*..... Interea tenemur ex officio, &
„ conſcientia V. S. pedibus iterum advolvi
„ ſupplicantes 1. ut illam P. Generalis acer-
„ bitatem, & conatus, qua poteſt auctorita-
„ te coerceat. 2. Ut a Scripturis, & libel-
„ lis abſtinere jubeat, quos *amaritudinis*
„ *felle, & invidioſo nomine in Jeſuitas* pro-
„ ſeminat. 3. Ut quæ *ſcripſit contra verita-*
„ *tem, & famam Societatis* in dictis libel-
„ lis, revocet, atque revocari velit in inte-
„ grum ".

III. Delicta, quæ affinguntur Reverendiſſimo P. Tyrſo Gonzalez, omnium graviſſima ſunt. Quid? Præpoſitus Generalis juſtitiæ vinculo defendere, propugnare, atque promovere Societatis ſplendorem adſtringitur. Et ille ipſe Societatem libellis, & quidem *incredibiliter maledicis* infamat, dilacerat, atque in ejuſdem deſtructionem conſpirat? Vix excogitari, nedum ſcribi hæc de Societatis Generali queunt. Verum quæ documenta afferuntur, ut hæc delicta confirmentur? Nullum omnino. Tantum vero abeſt, ut P. Tyrſus Gonzalez vel leviter Societatem laceſſerit, quin data occaſione ſemper pro illa pugnaverit, Apologias texerit, eamque exaltaverit. Qua ergo conſcientia recenſita flagitia eidem appinguntur? Dum hæc ſerio rependo, in mentem venit, quod nonnullis Jeſuitis jam a ſeculo exprobatum eſt a pluribus, nempe licere ſibi calumnias appingere iis, qui laxas quorumdam Caſuiſtarum opiniones profligare ſtudent. Numquam induci potui, ut de quocumque Jeſuita tantum ſcelus crederem: Sed poſteaquum legerem nonnullos Caſuiſtas, qui & licite occidi calumniatores, & calumniari illos, qui Inſtituti ſplendorem obſcurare nituntur, docent, tum anceps hæſi, num id credere deberem. Accedit quod omnem dubitationem abſtulerint his temporibus non pauci Scriptores, qui Concinæ famam dilacerare omnibus viis ſategerunt. Auctor, ſive Auctores *libelli famoſi inſcripti* Ritrattazione &c. a S. R. Sede proſcripti ob enormiſſimas calumnias, quibus ſcatet. Alterum calumniandi monumentum elapſo anno nobis præbuit P. Franciſcus Antonius Zaccaria in ſuo Tomo 6. *Hiſtoriæ litterariæ*, qui pag. 397. hæc de religioſa Communitate ſcribit „ A diſ-
„ puta meno ſoggette ſono le due rifleſſio-
„ ni che dà il P. Millante. La prima è,
„ che ſe il paſſo degli Atti doveſſe ſecon-
„ do tutto il rigore eſſere preſo, non ſareb-
„ be neppure a Religioſi permeſſo di poſſe-
„ dere beni ſtabili, (*e aggiungo io di met-*
„ *tere SOMME CONSIDERABILI di da-*
„ *naro in eſtere Piazze a frutto*). Concioſ-
„ ſiachè nè gli Apoſtoli, nè i primi loro
„ Diſcepoli non poſſedeſſero sì fatti beni,
„ nè faceſſero alcun traffico di danaro.
„ Eppur la coſa và altrimenti anche nelle
„ più ſtrette, ed oſſervanti religioſe Co-
„ munità: *E quanto al danaro poſto in fore-*
„ *ſtiere piazze a frutto ne ha avuto Erani-*
„ *ſte in Venezia de' DOMESTICI ESEM-*
„ *PLI, comecchè pericoloſi* „. Calumnia

hæc omnium teterrima, & ſceleratiſſima eſt, quod non unam, aut alteram perſonam, ſed integram Religioſam communitatem infamet. Qui eam machinati ſunt, & ſupremo Tribunali adjecto juramento, ideſt perjurio, produxerunt, lippis, & tonſoribus noti extant. Calumniæ rumor vix ſparſus fuit, ut ſeveriſſimis perquiſitionibus peractis a ſupremo Tribunali, calumniatorum iniquitas, & innocentia Religioſorum, quibus calumnia appicta fuerat omnibus patuerit. Hoc tamen non obſtitit, quin P. Franciſcus Antonius Zaccaria impoſturam omnino profligatam publicis typis poſterorum memoriæ tranſmittere dignatus ſit. Hæc omnem fidem ſuperant, & tamen in *Hiſtoria litteraria* nos eadem legere cogimur. In excuſationem tum P. Zaccaria, tum Auctoris, ſive Auctorum Retractationis, tum aliorum, qui calumnias conflarunt, alia excogitare non poſſumus, niſi, quod iſtis hominibus ex Caſuiſtarum quorumdam lectione perſuaſum ſit, licitum eſſe illos calumniari, quos ſibi, aut Inſtituto infenſos exiſtiment. Sed id admirationem, & horrorem mirum in modum auget, nihil prorſus allegari a P. Zaccaria, quod ſaltem minus probabilem calumniam reddat: Ex tripode dumtaxat, veluti ſupremus legiſlator pronuntiat: Addo EGO traſmittere ad exteras

men-

menſas ingentes pecuniæ ſummas ad annuos proventus. Quid prodit *To* addo Ego? Vere ipſe *addis*, vere ipſe *effingis*, vere ipſe *imponis*. Ut univerſę Reipublicę Chriſtianę evidentiſſime compertum ſit, hanc eſſe putidiſſimam calumniam, liceat mihi hoc dilemmate P. Zaccariam ſtringere. Aut Tu P. Franciſce Antoni Zaccaria documenta legitima in medium afferre debes, quibus factum a te publicis typis evulgatum verum eſſe confirmes, aut tu P. Franciſce Antoni Zaccaria penes univerſam Chriſtianam Rempublicam & pręſentem, & futuram impudentiſſimus calumniator audies, niſi impoſturam retractes. Nullum hic ad evadendum effugium patet. Nec lamentari de me jure vales, quod plus juſto exigam; nam ſi validis probationibus confirmare narrationem tuam vales, in anteceſſum hęc omnia, quę ego ſcripſi, retracto, aboleo, & penitus deleo. Si factum atrociſſimum falſum eſt, uti certiſſime eſt, non aliud tibi ſupereſt, niſi aut illud retractare, aut calumniatorem haberi. Eſt ne hic quidquam quo graveris? Nihil penitus. Nam S. Auguſtinus *lib. contr. Petil. cap.* 16. inquit: *Quando ſine teſte, ac ſine ullo documento crimen objiciens, maledicus potius conviciator, quam veridicus accuſator extiterit.* Nec ergo mori tuo inſiſtas, qui quum nec verba reponere, contra quę tibi objiciuntur, valeas, ineptias, & gerras congeris, aut cantiunculas tibi ridicule pangis, aut alias imputationes confingis, & alto ſilentio ea occultas, de quibus accuſaris. Agitur nunc de fama, & honore tuo. Agitur de fama, & honore eorum, qui librum tuum probarunt. Manifeſtandum tibi eſt nomen, cognomen, ſtatus, & gradus hominis illius, qui primus publico Tribunali calumniam evulgavit, deinde iſtum non eſſe vafrum, atque audaciſſimum nebulonem, tandem rationum momenta producenda tibi ſunt. Hæc autem non minus impoſſibilia ſunt, quam falſum evadere verum, & tenebras lucem. Unicum ergo tibi ſupereſt remedium, nempe publica, & ſolemnis retractatio typis edita. Hæc jure neceſſariæ, & juſtiſſimæ defenſionis contra neceſſariam calumniam ſcribere coactus fui, ne lectores *Hiſtoriæ litterariæ* veram eſſe calumniam credant, quam confutatam a nemine videant. Ex his omnibus exploratum eſt, apud veſtrum nonnullos inimicos eſſe Jeſuitarum, & Societatis calumniatores omnes, qui Moralem laxam refellunt; ſiquidem ſi ipſum veſtrum Generalem Gonzalez, cujus ſapientia, & morum integritas univerſæ Europæ innoteſcit, traducitis ut calumniatorem Societatis, propterea quod Probabiliſmum, & laxa conſectaria, quæ inde manant, profligaverit: quid dicturi de extraneis eritis? Vos autem provoco, ut in medium adducatis libellos illos *incredibiliter maledicos* contra Societatem a Reverendiſſimo Gonzalez evulgatos. Producite vel unicum verbum ab eo dictum minus obſequens erga Societatem veſtram. Cæterum ut ad incitas vos redigam, quæro, an univerſa Societas veſtra laxitatis paradoxa, quæ defendunt plures Caſuiſtæ veſtri, præſertim Sanchez, Tamburinus, Leſſius, Caſtropalaus, Eſcobarius, Buſembau, Mendo, Dicaſtillo, Gobatus, Laimanus, La-croixius, Viva & alii adoptaverit, an ſecus? Si hæc paradoxa Societas veſtra rejicit, ut ego affirmo, quum Sapientiores Jeſuitæ olim, & Probabiliſmum, & ceteras opiniones laxas refellerint, injuſtitia ſumma, & falſitate manifeſta ſanioris Moralis defenſores infamare Societatem, & Jeſuitarum infeſtos hoſtes eſſe aſſeritis. Si contra ejuſmodi laxitatis paradoxa Societas veſtra adoptavit, & tu *Cl. Carpane* Pater cum pluribus aliis affirmas, cur infamatur Societas veſtra ab iis, qui ejuſdem doctrinam, quæ Evangelio contraria reputatur, oppugnant, & exterminare conantur? Evincendum vobis eſt tales opiniones non eſſe antievangelicas, ſed quum hoc præſtare nequeatis, ſplendorem obnubilari Societatis vociferamini, ac ſi Societas veſtra eo conſpiraret, ut laxitatis venenum ſua ſplendida auctoritate, & potentia propagare velit, quod nefas eſt ſuſpicari. Hoc autem eſt ultimum defenſionis veſtrę aſylum, ſed iſthic quoque vos urgeo. Pluris ne vos penditis Societatis veſtræ exiſtimationem, quam Eccleſiæ catholicæ decus, & ſanctitatem? Magis ne ſolliciti vos eſtis de Jeſuitarum fama, quam de æterna Catholicorum ſalute? Plus ne vobis cordi eſt Societati veſtræ plauſus, quam ſana Evangelii doctrina? Mementote quæſo illius prudentiſſimi reſponſi, dum patrocinium in Matrem Societatem implorabatis. Ego vellem, repoſuit Patronus, ut AVIÆ, ideſt Eccleſiæ ſanctitas altius animis veſtris eſſet impreſſa. Brevius Italice: *Voi mi raccomandate la Madre, ed io maggiormente vi raccomando la NONA.* Quid hiſcitis, quid reponitis? Quo vos recipitis? Evadere hinc minime valetis, niſi Probabiliſmum, & pernicioſa, quæ ex illo proficiſcuntur conſectaria, ſolemniter abjuretis. An oppoſituri eritis, quæ dicta fuere adverſus Reverendiſſimum Generalem

veſtrum

veſtrum Gonzalez, quæque refert celebris Jeſuita in ſua *Synopſi enarrationis magis amplæ eorum, quæ acciderunt circa librum de recto uſu opinionum probabilium Auctore Reverendiſſimo P. Tyrſo Gonzalez artic.* 19. his verbis. „ Dictus P. Generalis inter
„ alios libros unum impreſſit contra ſenten-
„ tiam opinionis probabilis tanto ardore
„ defenſam a Scriptoribus Jeſuitis, & im-
„ pugnatam magno impetu ab ipſorum ad-
„ verſariis. Reputatur, ut hoſtis opinionis
„ communis Sociorum, qui dicunt doctrinam
„ ſui Generalis *noxiam*, & *pernicioſam*
„ *publico Miniſterio ſanctæ Societatis, at-*
„ *tendendo quod ipſi cum ſint Confeſſarii*
„ *tot magnorum Principum Europæ Catholi-*
„ *cæ, & Prælatorum Principum in Germa-*
„ *nia, & nobilium aulicorum, non debeant*
„ *eſſe tam rigidi, ut jam docet P. Tyrſus,*
„ *cujus doctrinas ſi ſequerentur, exciderent*
„ *munere Confeſſariorum in omnibus aulis.*
„ Hinc quum non velit Generalis ſuppri-
„ mere, aut retractare quę impreſſit contra
„ opnionem probabilem, Aſſiſtentes omnes
„ uniti prętendunt convocare Congregatio-
„ nem, ut ipſum deponant, quando ipſe
„ non deponat ſuam opinionem de opinione
„ probabili non probata opinione Societa-
„ tis „.

IV. Verum enim vero, quę de licita calumniandi ratione a pluribus Caſuiſtis afferta dicta ſunt, lubet, *Cl. Carpane*, verbis tuis evidenter confirmare. Quandoquidem in *opuſculo tuo Tripartito de opinione probabili cap.* 1. §. 2. *pag.* 4. hęc ſcribis. „
„ Pręterea multa, quę proxime, & imme-
„ diate ad jus naturę pertinent, ſi generatim
„ conſiderentur, ſunt cuique obvia, & captu
„ facillima, ſecus autem ſi conſiderantur
„ comparate ad has, vel illas circumſtan-
„ tias. Sic exempli gratia *Detrahere proxi-*
„ *mo ſuo illicitum eſſe unuſquiſque facile*
„ *intelligit: Sed an liceat appingere CRI-*
„ *MEN FALSUM, vel ſaltem illius cri-*
„ *men aliquod occultum manifeſtare, quan-*
„ *do nobis alia non ſuppetit via ad conſu-*
„ *lendum propriæ famæ, non eſt aliquid,*
„ *de quo rudes, & illiterati homines ferre*
„ *ſententiam poſſint.* „

V. Rudes, & illiterati Chriſtiani ignorant vetitum eſſe appingere *falſum crimen* alicui ad tuendam propriam famam, quando nulla alia patet via? Hoc pernicioſiſſimum laxitatis commentum a S. Sede proſcriptum innovare audes *Carpane Pater*? Non perhorruit calamus talia ſcribere? Omnes ad unum Chriſtiani, qui non ſint peccatorum caligine obcæcati, vel ſeducente quorumdam Caſuiſtarum doctrina præventi, apprime callent, nullo in caſu licitam eſſe calumniam. Interroga rudiſſimos agricolas, imperitos piſcatores, & moratæ conſcientiæ Idiotas, & omnes ore rotundo inclamabunt: in quocumque caſu calumniam prohibitam eſſe. An ignorant veri Chriſtiani reddendum eſſe bonum pro malo? An ignorant *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*? An ignorant: *Diligite inimicos veſtros. Benefacite illis, qui oderunt vos. Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos?* An Deus veris Chriſtianis lumen, & gratiam non impertit, ut peccata cognoſcant, & declinent? Negas? Impoſſibilia ergo præcepta efficis, & Janſeniſta evadis? Verum in nullius Chriſtiani mentem veniſſet tam exitialis doctrinæ funeſtum paradoxon, quod licita calumnia ſit, quando alia non occurrit via conſulendi propriæ famæ, niſi Probabiliſtæ nonnulli illud peperiſſent in lucem. Hæc pernicioſa doctrina literatiſſimis, & peritiſſimis PP. Amico, Dicaſtillo, Ingenioſo Caramueli, & aliis reſervata erat. Cæterum ſi licita calumnia eſt ad propriæ famæ defenſionem, licitæ quoque erunt fornicationes, licita adulteria, licita perjuria ad conſervandam vitam, vel famam: nec enim minus repugnat ni juſtitia juſtitiæ, & legi naturali calumnia, quam fornicatio, adulterium, perjurium, quin calumnia efficacius infringit civilem Societatem, quam cetera crimina. Et quum hæc, & alia ſimilia inaudita, & horrenda laxitatis commenta elata voce, & ſtylo vehementi refelluntur, ſaltitant, & excandeſcunt nonnulli Probabiliſtæ. Et ex hoc ſolo capite proſcribi libros pertentant. Qui auſus a creatione mundi auditus non eſt. Damnandi libri ſunt propterea quod immanes errores, qui corrumpunt Evangelicam doctrinam, & prima naturæ principia, intrepido pectore, & acri ſtylo refellantur? Non pudet talia pertentare? Evincendum vobis eſt errores, qui confutantur, non eſſe errores, ſed ſanam, & Evangelicam doctrinam: & tum jure vocem exaltabitis, & adverſarios veſtros deprimetis: Sed uſquedum purgare ab errore laxas opiniones non valetis, injuria ſumma, & incredibili audacia contra errorum oppugnatores vociferamini, & manifeſta injuſtitia ſupremas poteſtates concitare in ſanioris doctrinæ aſſertores verſute ſatagitis. Ex tua igitur doctrina *Cl. Carpane* legitime infertur, licitum eſſe calumniam appingere aliquibus, quando alia non ſuppetit via defendendi pro-

propriam

Digitized by Google

priam famam. Quoniam licet illiterati, & rudes homines nequeant hac de re ſententiam ferre, Sapientiſſimi tamen, & benigniſſimi Probabiliſtæ non pauci definire queunt, immo jam definiere hoc licitum, & expediens eſſe.

VI. Sed miſſis aliis Sociis tuis, ad te *Cl. Carpane* ſermonem converto. Tu Sociorum, quos laudavi, veſtigiis inſiſtens, conviciis, & contumeliis P. Concinam inſectaris. Scribis pag. 176. & 177. P. Concina *per ſummam audaciam blaterat*. Si P. Concina appellaret aliquem Jeſuitam *audacem blateronem*, vos omnes, rumoribus mundo repleto, Tribunalia ſuprema turmatim adiretis, ut pro tanta contumelia, juſta vobis exhiberetur compenſatio. Contra P. Concina ridet, nihilque pendit talia convicia. Pag. 180., & 181. altius inſultas, & Sapienti P. Camargo Socio tuo Antiprobabiliſtę, & P. Concinę, de quibus hęc ſcribis. *Camargo phantaſiæ vitio laborans inaniter jactat demonſtrare, cum revera ſolum emphaticis, ac verborum ſtrepitu Probabiliſmum inſectetur: quem Auctorem paribus veſtigiis ſequitur, eodem phantaſiæ vitio laborans Probabilioriſta recentior* (P. Concina), *cujus inanes futileſque declamationes capite ſuperiore late rejecimus*.

VII. Phantaſię vitio laborant P. Camargo Jeſuita, & P. Concina? Phanatici ergo ſunt, ſtulti ſunt, dementes ſunt, qui ut in pręf. ad lectorem pag. IV. ſubdis, *ſimulata zeli ſpecie decepti, ac facultate Theologica vix leviter aſperſi in effrænato, ac procaci ſcribendi modo conveniunt.... nihil apte definiunt, nihil partiuntur, ſed objurgationibus, contumeliis, fabuloſis narratiunculis plebeculæ plauſum captant. Quod a me jure, ac merito dici patebit unicuique, qui arte diſſerendi inſtructus, ac Moralis Theologiæ non ignarus, eorum libros ad examen revocaverit, in quibus doctrina, ne mediocris quidem, deprehenditur, ſed mera loquacitas, & quæ a ſapientia diſſident plurimum, temeritas, & arrogantia*.

VIII. Facultate igitur Theologica ne leviter quidem aſperſi ſunt Antiprobabiliſtę Jeſuitæ Bellarminus, Pallavicinus, Toletus, Viteleſchi, Comitolus, Blanchus, Gonzalez, Elizalde, Camargus? Ne mediocris quidem doctrina deprehenditur in operibus Mercori, Piccinardi, Goneti, Baronii, Contenſonii, Cardinalis Goti, Ferrerii, aliorumque Dominicanorum? Quid de mille ſapientiſſimis Theologis, Epiſcopis, Cardinalibus, Synodis, Univerſitatibus, & univerſa Eccleſia Gallicana dicam? In his omnibus mera loquacitas, temeritas, & arrogantia occurrunt. Nihil iſti apte definiunt, nihil partiuntur, ſed objurgationibus, contumeliis, & fabuloſis narratiunculis plebeculæ plauſum captant? Dum talia viri eruditi, & Chriſtiani legunt, obſtupeſcunt, & perhorreſcunt. Et quinam ſunt Cl. Carpane, te judice, viri ſapientes, & chriſtiana Theologia non leviter aſperſi, ſed uſquequaque ornati, & profunde imbuti? Quinam? Caſuiſtæ Probabiliſtæ *Sanchez*, *Gobat*, *Caramuel*, *Bonacina*, *Diana*, *Caſtropalaus*, *Tamburinus*, *Eſcobar*, *Alcozer*, *Bizozer*, *La-croix*, *Burgaber*, *Roſmer*, *Gormaz*. Per te omnes Probabiliſtæ, qui contra Dei legem in doctrinis controverſis pugnant, & in favorem libertatis dimicant, ſunt ſapientiſſimi. At iſtorum Sapientum opera, ut dixi, & repetendum ſæpius eſt, inquinata ſunt doctrinis proſcriptis, laxis, & pernicioſis. Contra Antiprobabiliſtarum, quos ego laudavi, opera immunia ſunt ab omni doctrina damnata, & laxa, & æquo rigidiore. Hæc facti veritas eſt evidentiſſima. Caſuiſtæ in Republica litteraria nullius fere nominis, qui evulgant doctrinas laxas, & paradoxa abſona, & inaudita, ſunt doctiſſimi, ſunt ſapientiſſimi.

IX. Qui vero clamant, & vocem ſuam, ut Dominus jubet, exaltant contra laxitatis paradoxa, & doctrinas ſeducentes, vitio phantaſiæ laborant, ideſt phanatici ſunt, ſtulti ſunt, indocti ſunt. Ab integro fere ſæculo obtinet ars iſta appingendi cenſuras Rigoriſmi, Tutioriſmi, Janſeniſmi ſanioris doctrinæ propugnatoribus. Probabiliſtæ plures perſonas ipſas contumeliis, & conviciis denigrare ſtudent. Cur hoc? Quia, cum non inveniant in libris Antiprobabiliſtarum paradoxa, aut rigoris, aut laxitatis vellicanda (quæ ſi invenirent, volumina implerent,) idcirco ſcriptores ipſos aggrediuntur. Contra vero, quia Probabiliſtarum libri a capite ad calcem opinionibus laxis, quæ hoſtiliter cum Evangelica lege pugnant, paſſim ſcatent, vellent, ut ſubmiſſa voce, & ſuavi ſtylo confutarentur. Iraſcuntur, cum vident opinionum monſtra vehementi oratione profligari? Audi *Cl. Carpane* Socium tuum doctiſſimum Theologum P. Michaelem Elizalde ſic ſcribentem. *Sed præter cauſam ipſam, ſtylus etiam, dictioque vehementior diſplicuit. An vero de alæ muſcæ compoſitione quæſtio vertitur, & non de ſalute in primis noſtra & dein etiam reliquorum, ut quantacumque orationis vi, & efficacia uti non liceat?....*

Digitized by Google

ceat? . . . . Num Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, ubi de moribus vertebatur, molli oratione fluxerunt? Aut unus Magiſter noſter adverſus falſas morum opiniones Doctorum legis leviter labebatur? Audi alium Socium tuum ſimiliter doctiſſimum P. Ignatium de Camargo, qui pag. 27. clamat. *Profecto SS. Patres Eccleſiæ Auguſtinus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Ciprianus, Proſper, Bernardus, & alii, qui ſicut in doctrina, ſic in modo docendi, primi poſt Dominum Magiſtri noſtri ſunt, dum ſimiles errores oppugnant, non molli, ac placida oratione fluere, ſed torrentis adinſtar ruere ſolent. Puto vero in genere doctrinæ moralis vix peculiarem alium errorem inveniri, qui cum benigno iſto Probabiliſmo, undecumque reſpiciatur, poſſit conferri.* Quid ad hæc Carpane Pater? An improbabis omnes Eccleſiæ Patres? An ipſum Chriſtum Dominum? Iterum repeto: cur adeo vos torquent, cur tam crudeliter vos cruciant declamationes, & vehemens ſcribendi ratio noſtra? Quia ſub nativo aſpectu expoſita conſpicitis laxitatis Probabiliſticæ commenta. Continenter tu *Cl. Carpane* ſubiraſceris contra Antiprobabiliſtarum declmationes. Sed cur iſtas non reſcribis? Cur eaſdem deridendas, exſibilandaſque non perhibes? Quia non audes. Quia non potes. Quia reſcribere ſimul laxitatis monſtroſa paradoxa, in quæ directæ ſunt declamationes, deberes. Idcirco his omnibus caute diſſimulatis, Auctores ipſos phantaſiæ vitio læſos, phanaticos, furentes traducis, ut *loc. cit.* Sapientiſſimus ſocius tuus *Camargo* advertit. *At video complures eſſe Probabiliſtas ſane delicatiſſimos, qui cum ipſi audaciſſime, non modo de noſtra ſententia, verum & de PATRONIS ipſius quidvis loquantur, & ſcribant, benignam tamen ſuam opinionem, vel LEVITER tangi non ferunt.* Animis nunc adeſto *Cl. Carpane*. Quouſque tandem Vos Probabiliſtæ non pauci abutemini patientia publica? Quouſque licitum vobis erit traducere Evangelicæ Moralis defenſores, tamquam phanaticos, tutioriſtas, & Janſeniſtas? Quouſque contendetis verborum involucris abducere a via veritatis fideles, ut ambulent per vias falſitatis larva probabilitatis tectas? Quouſque denique deprimere verſutis artibus adverſarios Caſuiſticæ laxitatis audebitis? Scrutare Cl. Carpane omnia P. Concinæ opera: & ſi vel unicum convicium contra Auctores inveneris, tum tibi faces ſubmittet. Immo dum eorumdem laxas opiniones refellit, excuſat intentionem, quam piam aſſerit, morumque probitatem extollit. Contra Vos Probabiliſtæ non pauci, cum Probabiliorem doctrinam impetere nequeatis, Auctores ipſos inſectamini, & in hæreſis ſuſpicionem adducere non prætermittitis. Sed quod omnium prudentum admirationem excitat, & indignationem commovet, illud eſt, quod tu Cl. Carpane, & nonnulli alii, tum præcipue vocem extollitis, & Rigoriſmi, atque Phanatiſmi maculam doctis viris impingitis, cum laxitatis Caſuiſticæ lues uſquequaque graſſatur, & mores Chriſtianorum corruptiores evadunt. Quid? In hac ipſa ultima decade, laxa adverſus jejunium opinio reprobatur: tactus mamillares damnantur: monita ſalutaria, & opuſcula aurea ſcandalum pariunt: libellus famoſus adverſus ſanioris doctrinæ vindicem proſcribitur, & recuditur: doctrina de Duello honoris vindice anathemate configitur: Pirhoniſmus improbatur: Bibliotheca Janſeniana diris devovetur, & ſub titulo *Dictionarii Janſeniani* reviviſcit, & proſcribitur: & tandem Pantheiſmus propugnatur in Italia, Neſtorianiſmus renovatur in Gallia. Hæ ſunt tragicæ clades, quæ hoc noſtro tempore affligunt Eccleſiam: Hæ ſunt calamitates, quas a filiis ſuis Chriſtiana Religio patitur. Et inter tot infortunia, & ſæviſſimas tempeſtatum procellas, ac ſi triumphatores, atque adverſariorum ſpoliis onuſti eſſetis, gloriabundi vobis plauditis, & Evangelicæ moralis propugnatoribus inſultatis? Phantaſiæ vitio læſos traducitis? Rigoriſmi, & Janſeniſmi notam iiſdem affingitis? Ubi quæſo judicium? Ubi prudentia? Ubi ſenſus communis? Ubi *Capadocia*? Facta, quæ cautiſſime, & modeſte indicavi, vera ſunt & omnibus compertiſſima. Et a laxo opinandi modo proficiſcuntur, veluti rivuli a fonte. Et nihilo ſecius pro doctrina probabiliſtica arma ſtringitis, & pæana canitis? Probabiliſmi incendia ardent, & repetitæ librorum proſcriptiones domi multiplicantur in dies: & non modo nulla non videtur emendatio, ſed ut tuis utar verbis, Cl. Carpane, temeritas, & arrogantia, cenſuræ Phanatiſmi, Rigoriſmi, Janſeniſmi in propugnatores ſanioris doctrinæ audacius, & impudentius detorquentur? Quid eſt hoc Cl. Pater? Quid eſt hoc? An vitium phantaſiæ? An nubecula ſuperbiæ? Abſit. Revelabo ego arcanum. Doctrinæ probabiliſticæ pruriunt auribus, libertatis confinia amplificant, appetitionibus humanis benigne indulgent, Sacramenta facillime diſpenſant, & ſuos pœnitentes recidivos, & vitam ducentes otio diffluentem, inter ludos, & converſationes promiſcuas amaſiorum, & ama-

ſiarum ad æternam felicitatem perventuros ſpondent. Doctrinæ iſtæ benigniſſimæ, & Principum, & Magnatum, & Nobilium, & Mercatorum, & univerſæ multitudinis plauſum, & acclamationem ſibi mirifice comparant. Plures his magnificis acclamationibus, & elogiis roborati, & animati, quidquid in mentem venit, confidentiſſime ſcribunt, & veluti in alto conſtituti Antiprobabiliſtas ſpectant, veluti ranas in luto coaxantes: idcirco eoſdem deſpiciunt, deprimunt, atque traducunt, ut Tutioriſtas, Rigoriſtas, Janſeniſtas, atque Phanaticos. Sed oro illos, obteſtorque, ut ſerio perpendant oraculum Chriſti Domini Joannis cap. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Et rurſus Matt. cap. 10. *Eritis odio omnibus propter nomen meum*. Cedo. Si Chriſtus æterna Sapientia legem ſuam Evangelicam non evulgavit, quin crucifixionem pateretur; Si omnes Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ſi Eccleſiæ Patres cujuſcumque ætatis, defendere legem Evangelicam, eamque inculcare non potuere, quin & mortem, & perſecutiones, & exilia ſuſtinerent; Quomodo hac noſtra ultima ætate Theologi plurimi tandem repererunt modum omni antiquitati incognitum defendendi ſcilicet Morum doctrinam, cum Principum, Magnatum, Nobilium, Matronularum, & univerſæ multitudinis plauſu, acclamatione, & laude? Fieri ne poteſt, ut credatur doctrinam hanc eſſe Evangelicam? Non pauci novi Theologi cum mundi plauſu ſuam moralem doctrinam prædicant, & exequuntur. Contra Magiſter noſter Chriſtus, & omnes Diſcipuli, & Apoſtoli cum mundi odio Evangelium evulgarunt. Iſti omnes cum perſecutione: illi cum acclamatione: iſti in exilium acti, & in carceres detruſi: illi primos recubitus occupant, & Rabbi vocantur. Et nihilo ſecius ſe perſecutionem, & calumnias pati inclamant, propterea quod eorum laxitatis commenta a paucis refellantur. O novum, & inauditum perſecutionis genus! Clamat Apoſtolus Paulus, *ſi hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem*. Recentes autem Theologi plures, & Servi ſunt Jeſu Chriſti, & hominibus placent. Quodnam eſt hoc fœdus, & Evangelii cum mundo, & mundi cum Evangelio? Bene ſcripſit P. Terillus Probabiliſmum eſſe *Myſterium* imperv.um non Theologis modo, ſed vel ipſis Apoſtolis, & omnibus Eccleſiæ Patribus. Hoc arcanum enigmaticum reſolve, ſi vales, Cl. Carpane. Alterutrum fateare oportet. Aut Probabiliſtas plures qui ſciunt placere, & Regibus, & Principibus, & Magnatibus, & Matronis, & majori mundi parti, ſapientiores, prudentiores, experrectiores eſſe, & unico Magiſtro noſtro Chriſto Domino, & Apoſtolis, & omnibus cujuſque ætatis Patribus: aut doctrinam, quam iſti Probabiliſtæ docent, non eſſe Evangelicam. Expecto limpidam reſolutionem.

X. Reſpondes *loco cit. pag.* v. impares eſſe Confeſſarios abſque Probabiliſmo excipiendis Confeſſionibus, *quod experimento* (inquis) *didicit Sapientiſſimus P. Conſtantinus Roncaglia C. M. D., qui, antequam ſacras audiendi confeſſiones munus aggrederetur, ſententiam rigidam, quam a Sacræ Theologiæ Profeſſore, cujus erat tunc temporis auditor, didicerat, mirum in modum adamabat, eamque pugnaciſſime tuebatur. Sed poſtquam munus illud exercere cœpit, conſilium mutavit in melius*. (in melius?.... ideſt in laxius, & pernicioſius), *ac benignioris ſententiæ, quam prius impugnaverat, aſtipulator evaſit: cujus rei vir probus, & ingenuus in ſua Morali Theologia typis edita, ut aliis documento eſſet perenne, reliquit poſteris monumentum verbis hiſce*.“ Probabiliora ſequenda docuit me meus Præceptor, & pariter ego plnribus ab hinc annis eamdem docui ſententiam. At experimento vidi nihil ad praxim deſervire. Quis etenim vel ſtudendo, & præcipue dum audit Confeſſiones, poteſt omnia momenta utriuſque partis librare, & inde definire: hoc eſt minus probabile: hoc eſt probabilius. Hoc eſſet onus intolerabile. Satis mihi fuit, in praxi ſequi ſententias, quas rationabili fundamento innixas putavi, & ita credidi ſatisfeciſſe meæ conſcientiæ „. *Utinam egregius hic auctor quot accuratiſſimæ ſuæ Theologiæ laudatores habet, totidem docilitatis ſuæ habeat imitatores*.

XI. Ecce quos tu ſapientiſſimos appellas! Caſuiſtas nempe, qui laxiores opiniones ampleſtuntur. Quam ſit Sapientiſſimus iſte tuus Roncaglia, ejuſdem verba a te tranſcripta declarant. Antequam Confeſſiones audiret, ſequutus eſt doctrinam probabiliorem. Dum ſacras audire confeſſiones cœpit, doctior evaſit, & a pænitentibus ſolidiorem didicit Theologiam. Tum comprehendit nihil ad praxim deſervire doctrinam Probabiliorem? Quis poteſt, inquit tuus Roncaglia, dum audit Confeſſiones, utriuſque partis momenta librare? Hinc reſplendet, non ſapientiſſi-

tiſſimum, ſed innocentiſſimum eſſe hunc Caſuiſtam rei Theologicæ. Quid? Non dum audit Confeſſiones, ſed antequam eaſdem excipiat, ſcire probabiliores doctrinas Confeſſarius debet. In *Confeſſionario* evaſit ſapientiſſimus tuus iſte Theologus? *Sed poſtquam munus illud exercere cœpit, conſilium mutavit in melius, ac benignioris ſententiæ aſtipulator evaſit.* Hactenus vel ipſi Probabiliſtæ meliùs eſſe docuerunt ſequi doctrinam Probabiliorem. Tu *Cl. Carpane* ultra progreſſus es, & ad majorem perfectionis gradum Probabiliſmum evexiſti. Cur benignam vocas opinionem laxiorem? Primus, qui ſic eam appellavit, fuit Socius tuus P. Terillus, ut iſtius benignitatis illicio laxiorem doctrinam propagaret. An benigna illa doctrina, quæ favet gulæ, luxui, pompis, quæ relaxat jejunia, quæ jejunantibus potum indicum mane, & ſero pro jentaculo octo cibi uncias impertitur? An benigna illa doctrina, quæ probat cambia ſicca, quæ contractus fenebres palliis probabilitatis induit, quæ Comædiis, choreis, theatris indulget? Benignitas hæc carnalis, non Evangelica eſt.

XII. Sed ediſſeras mihi velim, *Cl. Carpane*, cur Caſuiſta tuus Roncaglia, Probabiliſmi Magiſter factus ſit, poſtquam munus audiendi ſacras Confeſſiones exercere cœpit? Forſitan arcanum iſtud pandere tu recuſabis. Vices tuas ſupplebo ipſe, illudque manifeſtabo. Chriſtus ait: *Pauci ſunt electi. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Matth. 7.* Per hanc anguſtam portam, & arctam viam pauci ſunt, qui perambulare velint. Dilatanda ergo porta eſt, & amplificanda via, ſi numeroſam populorum frequentiam conciliare nobis avemus. Doctrina probabilior, quæ obſervantiam legis Evangelicæ promovet, continet Chriſtianos intra viam a Chriſto deſcriptam. Doctrina minus probabilis contra legem dimicat, & favens libertati, portam, & viam dilatat, & relaxat. Recidivos pravis habitibus irretitos, Amaſios, & Amaſiunculas mutuo procantes, ludentes, ſaltantes Probabiliſtæ plures ad Sacramenta admittunt, dummodo aliquo conatu, aliqua induſtria perhibeant ſe pœnitere. Et licet per plura luſtra eoſdem corruptos mores plus, & minus perſequantur, ſi interdum diminuunt crimina, & timore inferni perterrefacti aliquod doloris ſignum oſtendant, abſolvuntur hodie, & cras eamdem vivendi formam antichriſtianam reſumunt. Numquam a plurimis ſæculis tanta frequentia Sacramentorum, & ſpiritualium exercitiorum, & numquam corruptelæ latius dominatæ ſunt, nec mores ſolutiores. Semper fuerunt peccata, ſemperque erunt: atque horrendiora ſcelera olim viſa fuere. Sed peccatores abſtinebant tunc a Sacramentis, donec vitam permutarent. Sæculo noſtro fœdus in maxima Chriſtianorum parte iniere ambitio, luxus, immodeſtæ pompæ, impuri amores, & profeſſio Baptiſmalis. Vita ſemiepicurea, & Sacramentorum frequentia una conjuncta apparent auſpice Probabiliſmo. Iſtius facti catholicus Orbis teſtis eſt. Non potuiſſent Sapientiſſimi Caſuiſtæ quos tu celebras, videre Matronarum, & Magnatum frequentiam ad Confeſſionale, niſi repudiata Theologia, quam didicerant in ſchola, profeſſi fuiſſent Probabiliſmum libertati contra legem, & humanis appetitionibus indulgentem. Pauci ſunt ex Catholicis adultis, qui ſalutem aſſequuntur æternam, ut Chriſtus Dominus teſtatur, & omnes Patres confirmant. Caſuiſtæ Probabiliſtæ pia intentione, & zelo ſuccenſi ſalvandi omnes, & alliciendi Matronulas, & earum amatorculos, Magnates, & Mercatores ad frequentanda Sacramenta, Evangelicæ doctrinæ rigorem deliniunt, & arctam viam amplificant. Si hodierna Sacramentorum adminiſtratio valida, & ſancta eſſet, non pauci, ut Chriſtus ait, ſed fere omnes Catholici adulti ſalvi forent, cum pauciſſimi ſint, qui Sacramenta ſingulis annis non ſuſcipiant, & plurimi ſingulis menſibus. Alterutrum ergo. Aut oraculum Chriſti de paucitate electorum falſum dicendum, quod eſt blaſphemum. Aut hæc adminiſtratio Sacramentorum reſpectu plurimorum ſacrilega eſt.

Oro te, obteſtorque *Cl. Carpane*, ut ſimul attentione ſumma hanc doctrinam Evangelicam meditemur, atque diſpiciamus, cum ex vera ejuſdem intelligentia ſalus pendeat Chriſtianorum. Poſtquam Chriſtus viam æternæ vitæ anguſtam, & arctam eſſe teſtatus eſt, prævidens futuros fore Magiſtros, qui dilatare, & floribus, non ſpinis, aſpergere eam tentabunt, continuo adjecit: *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium... a fructibus eorum cognoſcetis eos.* Si ovium veſtimentis ornati reſplendent, quomodo a fructibus eorum dignoſci poſſunt? Si illorum opera mala eſſent, non ovium paſtores, ſed lupi apparerent. Si contra veſtimenta, quæ extrinſecus

videntur, ſunt ovium, nempe, ſi devotionem, ſi probitatem, ſi modeſtiam, ſi morum integritatem præferunt, cognoſci ab operibus eorum nullo modo poſſunt. Non dixit Chriſtus ab *operibus*, ſed a *fructibus* cognoſcendos Doctores eſſe. Opera perſonam afficiunt, fructus vero in auditoribus eduntur. Hinc eſt, quod communiter Patres exponunt Chriſti oraculum de fructibus doctrinæ, aut veræ, aut falſæ. Audi *Cl. Carpane* perdoctum Socium tuum P. Maldonatum, qui *in cap. 7. Matt.* hæc ſcribit. *Omnes igitur veteres Auctores per fructus opera intelligunt, quæ doctrinam natura ſua malam, mala bonam, bona conſequantur.* Ex fructibus ergo ſanctificationis, & virtutum, quos Doctores in auditorum animis pariunt, diſcernuntur Paſtores a Lupis. Idque evidentius conſtat, ſi perpendantur, quæ illico ſubdit Chriſtus Dominus: *Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Loquitur ergo Chriſtus, non de Doctorum operibus, ſed de fructibus, quos in Evangelico grege producunt. Si ſeminant ſpinas in auditorum animis, numquid uvas colligent? Et ſi ſpargunt tribulos, numquid naſcentur ficus? Cedo. Unde cognoſcis Medicum eſſe peritum? Ex ejuſdem operibus? Minime gentium. Unde ergo? Ex ægrotorum cura, & ſanatione. Unde Judicem? Ex juſtis ſententiis. Unde quemlibet Artificem, & Miniſtrum? Ex fructibus artis, & miniſterii. Illi ergo ſunt veri Doctores, qui ſuos pænitentes a vitiis ſanant, qui humiles, caſtos, juſtos, luxus, pomparum, & mundi contemptores efficiunt, & ſimiles imagini Chriſti Jeſu reddunt. Contra Doctores illi, qui permittunt ſuos pænitentes choreas ducere, theatra adire, ludere, & converſationes virorum, & mulierum frequentare, & vitam in perpetuo otio agere: qui concedunt ſæculi pompas, luxum, & faſtum: qui non cogunt debitores ad reſtituendam, ſine dilatione, rem alienam, qui contractus fenebres probabiliſticis palliis larvatos celebrari ſinunt: qui ad erogandum in pauperes ſuperfluum ſtatui, non aſtringunt: & ſimul iſtos deſtitutos humilitate, caſtitate, modeſtia, juſtitia, caritate ad Sacramenta frequentanda admittunt, dummodo, dum confitentur, pectus tundant, & aliquam lacrymulam effundant. *Qui*, ut *2. ad Tim. c. 3.* ſcribit *S. Paulus*, *penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Iſti omnes ſunt falſi Magiſtri, qui ſeducunt fideles. Quiſque ergo ſevere diſcutiat conſcientiam ſuam: expendat fructus pænitentiæ, & virtutum, quos ex frequentia Sacramentorum colligit. Si ſe deprehendat in mundi vitiis immerſum, & vitam vanam, pompoſam, voluptuariam, luſoriam, mollem continuare, certo concludat, ſe eſſe cæcum, & a cæcis directum. Chriſtus ipſe *Marc. c. 12.* teſtatur loqui de doctrinæ fructibus inquiens: *Et dicebat eis de doctrina ſua. Cavete a Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro: & in primis cathedris ſedere in ſynagogis, & primos diſcubitus in cœnis.* Oſtenſum epiſtola prima eſt, & quidem evidenter, Probabiliſmum non eſſe doctrinam Evangelicam. Ergo parere in pænitentibus nequit fructus humilitatis, mortificationis, caſtitatis, & juſtitiæ. Doctrina hæc, quia contentanea mundo, & appetitionibus hominum, plauſus, & acclamationes ſuſcipit. Nihil vero validius hominum mentes excœcat, quam mundi laudes, & elogia. Animadvertit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quod ſi Doctores Chriſtiani odirent plauſus, & acclamationes Magnatum, Matronarum, & totius mundi, continuo mundus reformaretur. Sic enim *hom. 43. in cap. 23. Matt.* ſcribit. *Sacerdotes, qui poſiti ſunt ad ornamentum populi, & ad ædificationem Sanctitatis, ex ipſo Miniſterio eorum accipit colorem Diabolus, & corrumpit bonum miniſterium eorum, ut hoc ipſum bonum, dum propter homines fit, fit malum. TOLLE ERGO HOC MALUM DE CLERO, NE VELINT HOMINIBUS PLACERE, & ſine labore omnia vitia reſecantur.*

XIV. Tu nunc *Cl. Carpane* judex ſede, & ſententiam dicito, quod fructus pœnitentiæ, & ſanctitatis pepererint in populo Dei tot exercitia ſpiritualia, & tanta Sacramentorum frequentia, Probabiliſmo duce? Ediſſerito, num Matronulæ abſtineant a converſatione virorum, num rejecerint vanitates, & luxum? Num viri, & Magnates receſſerint ab amaſiunculis? Num debita ſolverint? Num ſuperflua pauperibus diſtribuant? Num Eccleſiaſtici, Prælati, Epiſcopi, & cæteri, reditus Eccleſiæ in pia opera erogent, an eoſdem dilapident in conviviis, in ludis, in faſtu, in curruum magnificentia, in nepotibus ditandis? Circumſpice univerſas urbes, & ex fructibus Chriſtianarum virtutum collige, quinam ſint veri Evangelici gregis Paſtores, quinam lupi, qui vineam Domini devaſtent, & depopulentur? Doctrina probabiliſtica placet mundo, quia adver-

ſus

ſus legem favet libertati ludendi, converſandi, & gaudendi. Idcirco mundi plauſus, & acclamationes recipit. Porro omnes Divinæ Scripturæ, tum veteris, tum novi Teſtamenti, interpretes teſtantur, illos eſſe fallaces Doctores, qui doctrinas dulces & mundo accommodatas docent. Formidanda, & tremenda, quæ ſcribit Ezechiel cap. 13. *Erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium .... Eo quod deceperint populum meum dicentes pax, & non eſt pax. Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant luto, abſque paleis.... Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* Similia loquuntur ſere omnes Prophetæ, & Chriſtus Dominus *Luc. cap. 6.* clamat: *Væ cum benedixerint vobis homines. Secundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis Patres eorum.* Et, ut innumera alia teſtimonia omittam, S. Paulus concludit: *Si adhuc hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem.* ad Galat. 1.

XV. Ex his omnibus *Cl. Carpane* colligas velim, quænam doctrinæ ſint, quæ placent hominibus, quæ mundi laudes, & benedictiones ſibi conquirant. An doctrinæ, quæ legis Evangelicæ obſervantiam promovent? An vero doctrinæ, quæ ab iſtius legis controverſſę jugo ſubducunt? Tu ſententiam dicito, & ſimul audi S. Hieronymum clamantem: *Pſeudoprophetæ ſemper dulcia pollicentur.* Et S. Joannes Chryſoſtomus ſubdit *in c. 23. Matth. Chriſtus Dominus ſingularem pſeudoprophetarum notam in Evangelio nobis reliquit: Si ab omnibus hominibus benedicantur.* Tandem S. Thomas de Villanova amariſſimis lacrymis luget inquiens: *Quid Eccleſiam Dei hodie perdit, niſi Confeſſariorum blandiens adulatio, deliniens, demulcenſque aſſentatio? Fer. 6. poſt 4. Dom. Quadr.* Lege concionem 8., *& 9. Dom. 4. Adv.* Socii tui Ven. Bellarmini, & ſimilia offendes. Omnes itaque Scripturę ſanctæ, omnes cujuſque ſęculi Patres deteſtantur dulces doctrinas, & ſeducentem benignitatem Doctorum, qui populi fidelis conſcientias moderantur: & tu Carpane Pater ad ſydera extollis Sapientiſſimum tuum Caſuiſtam, quod repudiaverit doctrinam ex Scripturis ſanctis hauſtam, & *conſilium mutaverit in melius* adhibendo in animarum regimine laxiores opiniones contra legem in favorem appetitionum humanarum? Te non putet exclamare: *Utinam egregius hic Auctor quot accuratiſſimæ ſuæ Theologiæ laudatores habet, totidem docilitatis ſuæ habeat imitatores?* Caſuiſtam nullius nominis, egregium, & ſapientiſſimum appellas? Accuratiſſima eſt illius Theologia, in qua ſilent Scripturæ Divinæ, & Patres? Quos laudatores habet, niſi manipulum Probabiliſtarum? Hos quoque habebit imitatores, ſecus viros doctos in Scripturis ſanctis verſatos. Tu *Cl. Carpane* omnes fieri Benigniſtas velles. At hæc tua vota luce meridiana clarius hoſtiliter pugnant cum univerſis Scripturis ſanctis, & cum omnium ætatum Patribus. Quid times Cl. Carpane? Quod Confeſſarii nimium trucident delicatas matronulas, quod eaſdem jejuniorum ſeveritate, infirmorum viſitatione, & precum prolixitate affligant? Quod eaſdem ſuis vanitatibus, & pompis ſpolient, & ludis, & conſervatione cum amatorculis privent? Quid trepidas, quid formidas? Quod ſeverior pænitentia excruciet, & lanienam efficiat Magnatum, qui confitentur? Quod pro adulteriis, & fornicationibus iiſdem Confeſſarii imponant ſevera jejunia, & ingentes eleemoſinas? Ediſſere. Quid cauſæ eſt, cur omnes fieri benigniſtas Probabiliſtas aves? Ætas noſtra rigida, ſæva, truculenta eſt, ideoque indiget dulciſſimo Probabiliſmi pharmaco, non ne? Periculum imminet, ne crudelis flagellantium diſciplina innovetur. Adeo rigidi & immanes ſunt Confeſſarii in pænitentiis injungendis, ut videamus antiquorum canonum conſuetudinem innovatam. Uſquequaque conſpicimus mulieres, & viros ſaccis indutos, cinere aſperſos, ciliciis cruciatos, macie confectos, & præ nimia ſolitudine pene languescere, & occumbere. Idcirco tu *Cl. Carpane* dulcedinem Probabiliſmi exoptas, & univerſum mundum ad minus probabilem doctrinam hortaris, & ſuades, ut ſævientem ætatis noſtræ trucem ſeveritatem delinias, & mitiges. O Deus immortalis! O ſacroſancta Chriſti Evangelia! Corruptelæ, morum diſſolutiones, laxiſmus, pernicioſæ doctrinæ ætate noſtra ad malorum cumulum pervenere, animas Chriſti ſanguine redemptas devorant, & denique incredulitatem, & impietatem pepererunt; Et Probabiliſtæ prædicant, promoventque doctrinas minus ſecuras, & laxiores? Contra Rigoriſmum chimæricum calamum acuunt, ut ſub hac larva laxiores opiniones amplificent. Laxiſmum manibus tangimus, & oculis conſpicimus. Provoco te *Cl. Carpane*, & tecum omnes Probabiliſtas, ut deſignetis ubinam in Italia triumphet iſte Rigoriſmus, contra quem tam ardenter vociferamini. An in praxi? Ridebit univerſus orbis. An in libris

Ca-

catholicorum? Indicate libros iſtos. Rigoriſmus iſte inter catholicos chimæra eſt cerebro probabilitatis fabricata. Si excandeſcitis, dum hæc auditis, perhibete ubinam in univerſa Italia Rigoriſmus iſte dominetur. Deſignate praxim, patefacite libros. An Rigoriſmus eſt, quod Laxiſmus non eſt. 1. *Facite fructus dignos pænitentiæ*. 2. *Beati, qui perſecutionem patientur propter juſtitiam*. 3. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*. 4. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proice abs te*. 5. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. 6. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. 7. *Oportet ſemper orare, & non deficere*. 8. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*. 9. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Rigida ne hæc Evangelica oracula? Quid rigidius Theologi Catholici docent? Expectabo a vobis, ut hunc Rigoriſmum manifeſtetis. Interim rogo omnes Probabiliſtas, ut calamo, non verſutia, doctrina, non poteſtate, & arte evincant, quæ nos vocamus paradoxa laxitatis, non eſſe talia; Et ſpondemus retractationem continuo faciendam. Similiter tu *Cl. Carpane*, ſi quid in his epiſtolis falſum, ſi aliqua in re me deceptum eſſe deprehenderis, palam facito, & majore, qua poteſt, efficacitate refellito. Id quippe mihi gratum erit, & ſi me aberrantem oſtenderis, libentiſſime errores corrigam. Lis noſtra metaphyſica non eſt, neque ſcholaſtica quæ putari in utramque partem impune queat: ſed ab ea pendet recta Sacramentorum adminiſtratio, pendet animarum ſanctificatio, pendet noſtræ propriæ æternæ ſalutis negotium. Pars enim, quæ fallitur, & fallit, difficile innocenter errat. Cæterum ſi mihi hominum minimo libere tecum loqui expediret, conſilium darem, ut tu *Cl. Carpane*, & alii Socii tui a propugnanda laxiori Ethice omnino impoſterum abſtineatis, quia quo plura evulgatis ſcripta, eo corruptiora excogitatis paradoxa, ut evidentiſſime experientia compertum omnibus doctis eſt. Opera, quæ in hac ultima decade typis publicis edidiſtis, id ſonora voce teſtantur. Cauſa enim falſa, quo divius diſceptatur, eo latius ſuum effundit venenum, & horrorem. Vos felices, ſi chriſtiana humilitate hoc conſilio uteremini. VALETE.

F I N I S.

O P E R A O M N I A

R. P. F. DANIELIS CONCINA

ORDINIS PRÆDICATORUM

ab banc uſque diem typis editæ.

Latine ſcripta.

COmmentarius Hiſtorico Apologeticus in duas Diſſertationes tributus, quarum altera anticriticis Animadverſionibus refellit ea quæ adverſus paupertatis Diſciplinam a D. Patriarcha Dominico in ſuo Ordine conſtitutam, intemperantiore critice ſcriptis prodiderunt Continuatores Bollandi in Commentariis nuper in Acta ejuſdem Patriarchæ editis. Altera eamdem Diſciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pomaſio interpretamentis vindicat. Accedunt de origine Diſciplinæ Regularis primum in Ord. Præd. per B. Raymundum de Vinei XXIII. Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis, inſtauratæ. Diſſertatio Hiſtorica, & Quæſtiuncula Moralis de Regularibus perſonatis, ſub nomine Caroli Antonii Plantamuræ. Venetiis 1736. iterum 1745. 4.

Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica Diſſertationibus Theologicis illuſtrata, & in duas Partes tributa: in quarum prima de Voto paupertatis vita Communi circumſcripto: in altera, de ceteris ejuſdem Diſciplinæ præcipuis capitibus diſſeritur. Accedunt ſelecta quædam veterum Theologorum Monumenta. Venetiis 1739. iterum 1750. 4.

Præfatio ad Lectorem in Dictionarium caſuum conſcientiæ Joannis Pontas, & Animadverſiones Critico-Morales in Menda Pontaſiana, ſive Obſervationes quædam Interpretis

Au-

Auguſtani, cum Actuario duorum caſuum qui in eodem Dictionario deſiderantur.

Epiſtolæ Theologico-Morales ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. Epiſcopum N. N. Venetiis 1744. 4. iterumque ibid. Lucę, & Romę.

In Reſcriptum BENEDICTI XIV. P. M. ad Poſtulata ſeptem Archieſcopi Compoſtellæ Jejunii legem ſpectantis, Commentarius Theologicus. Venetiis 1745. iterum 1755. 4.

Defenſio Decretorum Concilii Trid. & Apoſtolicarum Conſtitutionum Eccleſiæ Romanæ in cauſa Paupertatis Monaſticæ, adverſus duos Libros inſcriptos *Vita Clauſtralis*, & *Vindiciæ Regularium* &c. ad Pontificem Maximum BENEDICTUM XIV. Accedunt Cenſura in *Cenſuram Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*, & Animadverſiones in *Epiſtolam Exegeticam* P. G. C. Bonon. 1745. iterum 1758. 8.

In Epiſtolam Encyclicam Benedicti XIV. adverſus uſuram Commentarius, quo illuſtrata doctrina catholica, Nicolai Broederſen ac aliorum errores refelluntur. Romæ 1748. 4.

Uſura contractus trini Diſſertationibus Hiſtorico Theologicis demonſtrata adverſus mollioris Ethices Caſuiſtas, & Nicolaum Broederſen. Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Auctoris adverſus uſuram. Romæ 1746. & 1748. 4.

Theologia Chriſtiana Dogmatico moralis, Summo Pontifici BENEDICTO XIV. feliciter regnanti nuncupata, in decem tributa Tomos: quibus accedit Apparatus duobus Tomis comprehenſus: quorum alter, præter Decreta, & Conſtitutiones Pontificias, fidei, morumque rectam tradentes normam, de Locis Theologicis, ſive de purioris Ethices Chriſtianæ fontibus Librum exhibet; alter vero Conſcientiæ, & Probabiliſmi argumenta duobus diſtinctis Libris pertractat. Romę 1750. iterum 1754. & 1758. 4.

De Sacramento Pœnitentię, ejuſque Miniſtro Commentarius Dogmatico moralis. Romæ 1750. 4. Qui licet Theologiæ Chriſtianæ pars ſit, ſeparatim tamen diſtrahitur.

Romani Philalethis ad Theologum Lovanienſem Epiſtola de juſta Bibliothecæ Janſenianæ proſcriptione. Venetiis 1750. 4.

De Spectaculis Theatralibus Chriſtiano cuique tum laico, tum clerico vetitis Diſſertationes duæ. Accedit Diſſertatio tertia de Presbyteris Perſonatis. Romæ 1752. 1754. 4.

Epiſtola ad Polycarmum Virum Clariſſimum, in qua B. Nicolai Juſtiniani Veneti Monachatus a fabulis, vaniſque Commentis aſſeritur. Tridenti 1746. 1755. 4.

De Sacramentali Abſolutione impertienda, auti differenda Recidivis; Conſuetudinariis Diſſertatio Theologica. Romæ 1755. 4.

De Vita, & Rebus geſtis P. Thomæ Mariæ Ferrarii Ordinis Præd. S. R. E. Card. Tituli S. Clementis Libri tres. Romæ 1750. 1755.

Ad R. P. Carolum Nocetium Epiſtolæ octo de ſingularibus Argumentis in ejuſdem Libro inſcripto VERITAS VINDICATA contentis. Accedunt Opiniones Laxæ quamplurimæ ex variis Caſuiſtis collectæ: item Cenſura R. P. Euſebii Amorti Canonici Lateranenſis in Theolog. Moralem R. P. C. L. C. &c. Venetiis 1755.

Theologia Chriſtiana dogmatico-moralis contracta in Tomos duos: *ſive* Compendium Theologiæ &c. ab ipſo Auctore concinnatum, & in duos Tomos tributum. 4. 1760.

Manuale Concinæ, ſeu Theologia Chriſtiana Dogmatico Moralis a P. Daniele Concina elucubrata priore contractior. Adjectis ad calcem definitionibus ad examen ſubeundum neceſſariis atque opportunis. Venetiis 1763. Tom. 2. in 4.

De Danielis Concinę Vita & Scriptis commentarius a Dionyſio Sandellio elaboratus. Venetiis 1767. 4.

Italice emiſſa, quorum tamen titulos hic latine ſubiicimus.

Vetus & nova Romanæ Eccleſiæ Diſciplina circa ſacrum Quadrageſimale Jejunium, duabus Apoſtolicis Litteris, *Non ambigimus*, & *In ſuprema* Benedicti XIV. regnantis Pontificis expreſſa, atque Hiſtorico-theologicis Animadverſionibus illuſtrata. Venetiis 1742. 1756. 4.

De Probabiliſmi ac Rigoriſmi Hiſtoria Diſſertationes Theologico-morales-criticæ, quibus fundamenta Chriſtianæ Theologiæ explicantur, atque a recentiorum Probabiliſtarum cavillationibus vindicantur. Opus in duos Tomos tributum. Ad calcem ſecundi Tomi adjecta eſt Diſſertatio Apologetica adverſus Libellum: *Difeſa della Diſſertazione Teologica morale critica de' Signori Abate Pietro Capellotti, ed Arciprete Bartolomeo Caſali* ec. Lucæ 1743. & iterum 1748. 4.

Quadrageſima a Foro contentioſo recentium quorumdam Caſuiſtarum ad recti ſenſus, bonæque fidei populi Chriſtiani Tribunal Appellans ſuper jejunii præcepto cum carnium eſu conjungendi, ex eo dumtaxat quod noceant cibi quadrageſimales. Diſſertatio adverſus Libellos duos nuper hac de re editos.

Tertia

Digitized by Google

Tertia Editio novis additamentis locupletata, videlicet duobus Brevibus Pontificiis de jejunio, & integra Diſſertatione in Librum cui titulus *Difeſa* ec. de quo ſupra in Hiſtoria Probabiliſmi. Venetiis 1744. 1756. 4.

Obſervationes critico-morales, quibus vindicatur Hiſtoria Probabiliſmi, & Rigoriſmi, adverſus Librum cui titulus: *Giuſtificazione di più Perſonaggi, e di altri Soggetti ragguardevoli. In Lucca* 1748. propoſitæ in hac Epiſtola Auctori ejuſdem Diſſertationis. Piſauri 1745. 4.

Examen Theologicum Libri inſcripti: *Saggio de' Supplementi Teologici, Morali, Critici, di cui abbiſogna la Storia del Probabiliſmo e del Rigoriſmo* ec. typis editi Lucę anno 1744. a R. P. Nicolao Ghezzio. Piſauri 1745. 4.

Explicatio quatuor Paradoxorum quæ plurimum obtinent ætate noſtra. Animadverſiones in duos Libros RR. PP. Lecchi & Bovio, inſcriptos *Avvertenze, & Diſſertazione* &c. Præmittitur brevis notitia Librorum editorum a quibuſdam Probabiliſtis in defenſionem tum Probabiliſmi, tum aliarum moralium opinionum. Lucæ 1745. & iterum 1750. 4.

Expoſitio Dogmatis, quod Eccleſia Romana credendum proponit circa uſuram, una cum confutatione Libri cui titulus: *Dell' impiego del denaro*. Neapoli 1746. 1756. 4.

Monumenta Hiſtorica circa uſum Chocolatis tempore jejunii, expoſita in Epiſtola ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Archiepiſcopum N. N. Venetiis 1748. 8. & iterum 1749. additis alterius Anonymi Auctoris Animadverſionibus ſpectantibus Librum ſcriptum: *Quareſima appellante*.

Confeſſariorum & Pœnitentium Inſtructio, ut indigne miniſtrent, atque frequentent Pœnitentiæ ſacramentum. Venetiis 1753. & iterum 1755. 8.

De revelata Religione adverſus Atheiſtas, Deiſtas, Materialiſtas, Indifferentiſtas, qui myſteriorum veritatem inficiantur. Libri quinque. Venetiis 1754. 4. Vol. 2.

De hodiernis Theatris Chriſtianæ profeſſioni infeſtis Libri duo, quibus duæ de ſpectaculis theatralibus Diſſertationes confirmantur. Romæ 1755. 4.

Per eodem Auctore Opera Apologetica ab aliis vernaculo ſermone conſcripta, & edita.

Defenſio Doctrinæ Angelici Doctoris S. Tho. Aquinatis 2. 2. quæſt. 154. art. 4. exhibita. Lucę 1756. 4.

Epiſtolæ Theologico-morales Euſebii Eraniſtes, quibus Hiſtoria Probabiliſmi, & Rigoriſmi P. Danielis Concina vindicatur. Editio tertia Tridenti 1752. 8. Vol. 6.

Adelphi Caritei, & Philarmindi Arenii Epiſtolæ in Libellum editum adverſus Epiſtolas Theologico-morales Euſebii Eraniſtes. Tridenti 1753. & iterum 1754.

Notæ anticriticæ Eudoxii Filenii in Reſponſionem ad ad. R. P. I. S. exhibitam Epiſtolis Theologico-moralibus Euſebii Eraniſtes. Tridenti 1752. & 1753. Vol. 2.

Specimina & Obſervationes Joannis Ambroſii Toniſchi circa Theatra, & aleę Ludos. His additur Diſſertatio de iiſdem Ludis Auctore Anonymo. Venetiis 1755.

Criticę Animadverſiones, queis compendio refellitur Opus inſcriptum: *Dell' impiego del danaro*. Lucę 1755. 4.

Supplementum, vel Obſervationes in ſeptem priores Hiſtorię Litterarię Italię Tomos. Lucę 1753. 8. Vol. 2.

Obſervationes Euſebii Eraniſtes ad Hiſtoriam Litterariam ſpectantes. 8. Vol. 2. Venetiis 1756.

Epiſtolę Agenoris ad Defenſionem P. Concinę, & Euſebii Eraniſtes ſpectantes. 8. Vol. 5. Venetiis 1756. 1758.

Probabiliſmi tenuitas, ſeu notiones quam breviſſimę, quibus homo tuto ſe dirigat in negotio ęternę ſalutis. Venetiis 1758.

Tractatus de Regula proxima humanarum actionum in opinionum delectu, in quo patefiunt falſitas, improbabilitas, atque abſurditas ſyſtematis probabiliſtici, nec non illud in praxi ſequentium grave periculum. Opus P. F. Vincentii Pattuzzi O. P. 1758. Vol 2. in 4.

Latine.

F. Vincentii M. Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ord. Præd. ad Carol. Noectium Soc. Jeſu Theologum, de Danielis Concinæ in indicandis deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide ac diligentia, Epiſtolæ XII. Romæ & Venetiis 1754. 4.

Moralium Actionum Regula in Opinionibus, ſeu Quæſtio de Opinione probabili, 1756. 4.